

ACTA UNIVERSITATIS SZEGEDINENSIS

Sectio antiqua

1958

---

**KISEBB DOLGOZATOK**  
az ókortudomány köréből

MINORA OPERA  
ad studium antiquitatis pertinentia

I.

**De vita operibusque**  
**LADISLAI de MACEDONIA**

Scripserunt

**I. K. HORVÁTH et K. E. OBERMAYER**

SZEGEDINI 1958.

**Redegit:**

**S: SZÁDECZKY-KARDOSS**

Megjelent 500 példányban 1959. február hó — Felelős kiadó: A Szégedi Tudományegyetem rektora

## DE VITA OPERIBUSQUE LADISLAI DE MACEDONIA \*

Vitam operaque Ladislai de Macedonia, viri annis cladem Mohácsianam partim praeventibus, partim sequentibus de re publica Hungarorum bene meriti atque oratoris praeclari, a viris doctis non solum pro merito adornata non esse, sed sufficienter ne disquisita quidem facile intelligeres.<sup>1</sup>

Viri studia humanitatis decennis saeculi XVI. primis profitentes traditiones illas, quae in aula Matthiae regis florebant, et in studiis litterarum exercendis et in regno contra hostes defendendo conservandoque ultro susceperunt. Rege Matthia extincto exitium Hungariae imminens extremum, quod Turcae in Hungariam ex propinquo ingressuri, impotentia ignaviaque regis atque nobilium manifestae erant, viros rerum civilium humanitatisque studiorum peritos impulit, ut officia patriae contra Turcas defendendae magis ac magis primo loco ponerent. Tamenetsi iobbagiones, solos fidos bellorum contra Turcam gerendorum socios despiciebant ignominiaque notabant „*servilem illam et popularem coniurationem, quae praetextu cruciatae hostili clade in omnem sexum et aetatem . . . debacchabatur*” (quibus verbis bellum iobbagionum duce Georgio Dózsa gestum ab ipso Ladislao nostro notatur),<sup>2</sup> idem humnistae rem publicam pro virili parte tuebantur, bellum fortasse haud vanum bellaturi, nisi rerum iniquitate, ignavia regis,

<sup>1</sup> In magno et novissimo opere T. Kardos: A magyarországi humanizmus kora (Aetas humanismi Hungarici). Budapest, 1955. tantum bis nomen Ladislai de Macedonia memoratur, de orationibus quidem eius nihil audimus. Biographiam Ladislai vide: V. Bunyitay: A váradi püspökség története (Historia episcopatus Váradensis). Nagyvárad, 1883. Tom. I. pp. 387 sqq.; J. Szinayei: Magyar írók élete és munkái (De vita operibusque scriptorum Hungarorum). Budapest, 1902. Tom. VIII. pp. 174—175.; J. Fogel: II. Lajos udvartartása (De aula Ludovici II. regis Hungariae). Budapest, 1917. p. 31. usque ad cladem Mohácsianam; J. (Johannes) Horváth: Az irodalmi műveltség megoszlása. Magyar humanizmus (De cultura litteraria divisa, Humanismus Hungaricus). Budapest, 1935. pp. 209-210.; A. Gánóczy: Episcopi Váradenses. Vienna, 1776. Tom. II. pp. 42 sqq. et breviter J. (Eugenius) Horváth: Várad Freskó (Fresco Váradensis). Budapest, s. d. p. 53.

<sup>2</sup> GY. Székely: A török hódítók elleni védelem ügye Dózsától Mohácsig (De defensione contra Turcas Hungariam occupaturos a Dózsa usque ad cladem Mohácsianam). Századok (86) 1952 p. 148

\* Etiam hoc loco gratias agimus viro doctissimo nec in studiis humanitatis exercendis umquam defatigato, Ladislao Juhász, qui hoc opusculum fieri non solum voluit ac excogitavit, sed etiam summis curis et consiliis a principio adiuvit.

quem tamquam „*nervis alienis mobile lignum*” diceres, negligentiaque principum christianorum prohibiti essent.<sup>3</sup>

Inter quos viros doctos et politicos invenitur mediocris homo, sed non sine auctoritate orator, Ladislaus de Macedonia. In historia vitae Ladislai nostri omnia observantur momenta, quibus ceteri aetatis eius homines quoque describi possunt, in orationibus quidem argumenta, quae Erasmus Rotterodamus alique humanistae, ante omnes, qui in aula Matthiae regis munere fungebantur, iam antea collegerunt: utilitatem universae christianitatis et regni Hungariae esse communem, maiores Hungarorum, qui vel clipeus aut murus totam christianitatem defendissent, bene meritos crimenque principibus christianis, qui suas in bellis civilibus, immo fraternis, vires terentes campum victoriis Turcae patefecissent, inferendum esse, — et cetera. Orationes Ladislai nostri praeterea multa eruditione studiorum humanitatis ingenioque splendent.

Has quaestiones adhuc neglectas investigando hoc opusculum edentes aliquantum fortasse studiis humanitatis addidisse speramus.

\*\*

Familia de Macedonia nominata a saeculo XIV. in diplomatibus aliisque fontibus usque ad saeculum XVII persaepe memoratur.<sup>4</sup> Nomen gentile acceptum esse de pago Macedonia, in comitatu Temes prope fluvium eiusdem nominis sito, verisimile est.<sup>5</sup> Franciscus Forgách in suis „Commentariis” de Petro Macedonico, praefecto Cassoviae, filio Nicolai fratris Ladislai nostri, haec scripsit: „...huius maiores Macedones erant et temporibus felicitum regum, qui ad Macedoniam fines imperii propagaverunt, in Macedonia ad Epirum amplas facultates possidebant; postea in inferiori Hungaria ac Servia contigua magnis ditibus donati erant, sed amisso tandem Temesvaro neque in Servia ullum Imperium Nostrum, sed inferioris Hungariae reliquiae tantum permanserunt.”<sup>6</sup> E quibus quidam doctorum familiam a natione Macedonica genus duxisse pro certo habuere;<sup>7</sup> ipse Ladislaus quidem noster non secus originem Macedonicam iactat in carmine, quod „Aquila ad viatorem” inscribitur et in libro orationem Norimbergae habitam conti-

<sup>3</sup> I. Trencsényi-Waldapfel: Erasmus és magyar barátai (De Erasmo et amicis eius Hungaris). Budapest, 1941. p. 24. et T. Kardos: op. cit.

<sup>4</sup> Nomen pagi Macedonia ita invenitur in diplomatibus ceterisque fontibus: *Machadonia, Machadonya, Machedonia, Machedonya, Macedonya, Maczedonia, Massidonio* (?), mox etiam nomina *Macedo, Macedonius, Macedonicus* et ex *Macedonia* iam familiam *de Macedonia* assignantia proferuntur.

<sup>5</sup> De facultatibus familiae vide: S. Borovszky: Csanád vármegye története (Historia comitatus Csanád). Budapest, 1897. passim; (in sequentibus Cs. V. T.). *Idem*: Torontál vármegye (Comitatus Torontál). Budapest, s. d. passim; (in sequentibus: T. V.). *Idem*: Temes vármegye (Comitatus Temes). Budapest, s. d. passim; (in sequentibus: Tem. V.); et Á. Bárány: Torontál megye hajdana (De antiquo comitatu Torontál). Buda, 1845.

<sup>6</sup> Fr. Forgách: Rerum Hungaricarum sui temporis commentarii. Poesoniae-Cassoviae, 1788. p. 183.

<sup>7</sup> I. Nagy: Magyarország családai cimerekkel (Familiae Hungaricae cum insignibus gentis). Pest, 1862. Tom. VII. p. 223.; J. Szinnyei: loc. cit.; Vincenzo Guidoto legatus Venetiae in relatione sua hoc scripsit: „*Rev. D. Vladislaus Macedonico, de le nobile fameglie del Regno...*” v. Fr. Firnhaber: Vincenzo Guidotos Gesandtschaft am Hofe König Ludwigs von Ungern 1523—1525. Quellen und Forschungen zur Vaterländischen Geschichte. Wien, 1849. p. 136.

nenti inveniri potest;<sup>8</sup> auctorem gentis comitem Magni fuisse Alexandri affirmat, qui postea relictis patriae (sc. Macedoniae) populatis agris „*pro virtute fideque*” clari aulam Attilae promeruerit et „*magnum terrae tractum*” inter fluvios Temes atque Borza ab eo acceperit.<sup>9</sup> Hanc tamen traditionem futilem esse vanamque demonstrare haud difficile est.<sup>10</sup> Ipsius Ladislai de Macedonia narratio duo disiuncta continet momenta: originem deductam ab Alexandro Magno (sc. Graeco-Romanam) et ab Attila (sc. Hunnicam). Originem gentis a Hunnis ducere nobilitatis demonstrandae causa in patria nostra antiquissimam traditionem fuisse nemo est, qui nesciat; item originis affirmationem Graeco-Romanam in litteris historicis saepe inveniri posse omnibus doctis notum. Sub nominibus pagorum Perjámos in comitatu Torontál, Ellösmonostor in comitatu Csongrád, item Ellösfalva in comitatu Arad Priamum et Achillem nomina in ora vulgi perventa corruptaque agnoscere facile est. Credi igitur potest pagum Macedoniae, sicut quidam pagorum in Hungaria inferiore siti nomina e *Historiis Trojanis* accepisse videntur, e fabulis Alexandri Macedonis res gestas continentibus nomen suum habuisse; quod tandem nomen gentile factum est.<sup>11</sup> Itaque non familia dedit nomen pago, sed pagus familiae. Deinde inter doctos studia humanitatis profitentes, quibuscum Ladislaus de Macedonia coniunctus erat, exortus est divulgatusque ille mythus originem familiae more humanistico explicaturus.<sup>12</sup>

Ad opinionem nostram affirmandam haec quoque commemorare possumus: familiam usque ad saeculum XVI. iniens nomen gentile tantum „*de Macedonia*,” habuisse; ex quo etiam nomina „*Macedo*,” et „*Macedonius*” vel „*Macedonicus*,” mytho humanistico antiquae originis late pervulgato, saepius reperiri posse. Neque opinionem explicatam argumento e scriptis Francisci Forgách accepto refutari posse credimus. Forgách enim carmen de Ladislai nostri maioribus scriptum certe cognovit; praeterea idem Franciscus familiae quoque vinculis

<sup>8</sup> An ipse Ladislaus scripserit carmen aut quidam amicus poeta, certe nescimus; sed non ipsum oratorem composuisse verisimile est: 1. Ladislaum versus panxisse nil indicat; 2. in libello vere dui carminaveniuntur: amicos Ladislai more humanistico ei his carminibus gratulatos esse videlicet; 3. laudationes sine modo quoque fratrum, Nicolai et Ladislai, non eos auctores fuisse valde comprobant.

<sup>9</sup> Opera Ladislai de Macedonia in sequentibus quoque citata, oratio anno 1522. Norimbergae habita eademque in linguam Germanicam conversa, item aliae duae anno 1530. Augustae habitae bisque lingua Germanica expressae una cum Libello Supplicatorio in Bibliotheca Nationali Széchenyiana (Országos Széchenyi Könyvtár) inveniuntur. Quarum descriptiones vide: K. Szabó: Régi magyar könyvtár (Bibliotheca Hungarica antiqua). Budapest, 1896. Tom. III. 248, 249, 289, 278, 279.; S. Apponyi: Hungarica. Budapest, 1900. Tom. I. pp. 128-129.; I. Hubay: Röplapok, újságlapok, röpiratok 1480-1718. (Libelli, actae diurnae, scripta politica). Budapest, 1948. pp. 15-16 et 31-32.

<sup>10</sup> Colonos Graecos in Hungariam meridionalem ante saeculum XV. venisse nil comprobatur. Á. Bárány: op. cit. p. 151. conicit ibi etiam Graecos perpaucos vixisse, quos tamen civitatem non constituisse compertum est.

<sup>11</sup> S. Borovszky: Cs. V. T. Tom. II. pp. 485-486. — De hac quaestione cf. D. Pais: Francia hatás Magyarországon hétszáz évvel ezelőtt (Influxio Gallica in Hungaria ante annis 700). Napkelet, 1923. Tom. I. pp. 187-189. et Magyar Nyelv, 1932. pp. 323-324. Cf. L. Hadrovics: Az ó-magyar Trója-regény nyomai a délszláv irodalomban (Vestigia historiae Trojanae antiquae Hungaricae apud Slavos meridionales). A Magyar Tudományos Akadémia I. Osztályának Közleményei. 1945/V. pp. 79 sqq.

<sup>12</sup> Fabulae eiusmodi etiam apud nos a temporibus regis Matthiae saepe inveniuntur.

propinquitatis fuit coniunctus: uxor cuiusdam Forgách, uti verisimile est, Johannis anno 1449. extincti, Anna de Macedonia, soror patris Ladislai nostri fuerat <sup>13</sup> sororemque Ladislai autem quidam alius Forgách habuerat in matrimonio. Forgách igitur in suis „Commentariis” traditionem in familia sua haud ignotam et certe propagatam recepit. Quod eo magis apertum, quod „*feliciores reges*”, quos Forgách fines imperii usque ad Macedoniam propogavisse dixisset, tantum ad Ludovicum I. dictum Magnum deferri posse haud dubium sit; nomen autem pagi in documento ante Ludovicum regem scripto inveniri potest. Videlicet doctum Franciscum traditionem fabulosam et vanam indicis historiae conciliare voluisse.

Primam mentionem pagi Macedoniae anno 1334. invenimus: in quodam indice, qui rationes collectorum pontificiorum in Hungaria annis 1332–1337 continet, enumerantur „*sacerdotes inter duos fluvios Tymisi* (sc. Temes)”, <sup>14</sup> inter quos memoratur Nicolaus de Macedonia. Hicce Nicolaus igitur sacerdos erat, sine dubio in pago Macedonia, qui parochiam ecclesiamque eo iam tempore habebat. <sup>15</sup> Uti in eodem indice enumeratos Paulum de Mera et Nicolaum de Priamus sacerdotes pagorum Mera et Perjámos fuisse in dubio poni vix debentur, non secus Nicolaum illum de Macedonia in sacerdotibus pagi Macedoniae neque autem maioribus Ladislai nostri numerare debemus.

Atavus familiae Donch de Macedonia fuisse videtur, qui anno 1363. inter homines regios memoratur: <sup>16</sup> inveniuntur in tribus diplomatibus annis 1380. et 1381. editis indicia certa de quodam magistro Petro de Macedonia, <sup>17</sup> quem in alio diplomate anno 1390. edito filium Donch et patrem Nicolai reperimus. <sup>18</sup> E quo diplomate familiam tunc pagum Macedoniae et aliquot pagos vicinos possedissee sedemque in pago Macedoniae habuisse elucet; sed eo iam tempore in comitatu vicino Torontál quoque plures certe possessiones tenuerunt.

Nobiles de Macedonia, quia facultates suas in Hungaria meridionali habebant, nimirum bellis contra Turcas gestis pro virili parte interfuerunt. In diplomate anno 1379. a Sigismundo rege edito <sup>19</sup> plura familiae membra commemorantur, qui in bellis praedictis bene meruere: Nicolaus, Andreas et Simon praesente. Sigismundo rege in arce oppugnanda Nikápol vulnera acceperunt, fratresque eorum, Andreas, Johannes et Nicolaus filius Johannis autem iam paulo ante in acie ceciderunt. Praecipue idem diploma extollit magistrum Nicolaum de Macedonia, filium Petri, qui proximo anno 1396. copias bassae nomine Ikach, se Bosnae regem gerentis, devicit ipsumque bassam manu propria occidit. Johannes de Thuróc in suis „*Chronicis*” in rebus annis post 1400. gestis describit hanc victoriam proeliumque illud, quo

<sup>13</sup> Cf. S. Borovszky: T. V. pp. 124 et 398.

<sup>14</sup> Monumenta Vaticana Hungariae. Budapest, 1887. Tom. I. (Series prima) p. 157

<sup>15</sup> S. Borovszky: Cs. V. T. loc. cit.

<sup>16</sup> I. Szentpétery: A nagykállói Kállay család levéltára (Regesta diplomatum familiae Kállay de Nagykovács). Budapest, 1943. Tom. II. p. 105.

<sup>17</sup> A nagykállói Kállay család levéltára. op. cit. pp. 198.

<sup>18</sup> Fr. Pesty-t. Ortway: Oklevelek Temesvármegye és Temesvár város történetéhez (Diplomata, quae ad historiam comitatus Temes et opidi Temesvár pertinent). Pozsony, 1896. Tom. I. p. 301. Cf. E. Mályusz: Zsigmondkori oklevéltár (Regesta diplomatum aetatis Sigismundi regis). Budapest, 1951. Tom. I. 1549.

<sup>19</sup> Cf. E. Mályusz: op. cit. 4643.

idem Nicolaus Petri filius de Macedonia impetum Turcae iterum avertit, simul indicans Nicolaum, militem fortissimum etiam vicinos agrestes desperatos urbamque militum gregariorum sub vexillum congregatorum contra Turcas duxisse, quod Antonius de Bonfinis in suis „Decadibus” multis variisque verbis enarrat. Quae narratio quidem fabulosa et a Johanne de Thurócz et ab Antonio de Bonfinis tradita rusticorum more ficta, immo vero rustica fabula esse videtur. „Dixere quidam” — narrat Johannes de Thurócz — Hungaros, ne sese sub nocte obscuros ignorarent, „Isten! Szent Mihál!” (Deus! Sancte Michael!) exclamavisse; Turcas autem solum „Szent Mihál!” clamantes se ita prodidisse. Utramque narrationem — certamen singulare Nicolai filii Petri de Macedonia cum bassa nomine Ikach et certamen rusticorum sub nocte commissum cum Turcis — unam eandemque pugnam vario modo nobis tradere valde verisimile videtur: traditio rustica more patrio momenta fabulosa illustravit, in aula quidem regia certamen equestre Nicolai de Macedonia primo loco narrabatur. At omnino pro certo haberi debet: viri docti adhuc errant, qui Hungarorum cum copiis Ikach pugnam commissam necemque bassae in rebus anni 1416 numerant.<sup>20</sup>

Ceterum hunc domitorem raptorum paganorum fortissimum non alium esse, nisi Nicolaum filium Petri filii Donch de Macedonia, in diplomatibus supramemoratis pluries prolatum, a Ladislao nostro atavum fortissimum commemoratum, satis liquet. Quidam doctorum eum nomine Péterfy aut Péterffy dicunt, quod tamen aberrationem esse philologicam doctorum Germanicorum luce clarius:<sup>21</sup> familia enim nobilis Péterffy e traditione falsa se a Nicolao filio Petri („Péter fia,” id est lingua vernacula antiqua „Péterfi”), domitore Turcae exortam esse cum ambitione praedicabat; duos illos in insigni generis

<sup>20</sup> Descriptionem historiae vide: *J. Thuróczy: Chronica Hungarorum III, 18.* et *A. Bonfini: Rerum Ungaricarum Decades III, 3.* Enarratio pugnae in decadibus *J. Thuróczy* post bellum Hussitarum invenitur; idem auctor in descriptione pugnae contra Ikach commissae Nicolaum, filium Petri de Macedonia „amicorum auxilio et milite aggregario adiutum” Turcam devicisse indicat. *A. Bonfini* duas pugnas assignat unam paulo post alteram contigisse, cum „haud multo post tempore” dicit, clareque demonstrat Nicolao de Macedonia duce etiam rusticos militesque gregarios proeliatos esse: „Quamquam hosti longe se intelligeret imparem, feritatis tamen indignitate correptus tumultuarium cogit exercitum. Mites sibi nullus praeter gregarium aut e rustica plebe evocatum erat...” Item: „Quin et agrestem congerit multitudinem, quando eadem omnibus erat pro aris ac focis pugnandi causa.” Cum has pugnas uterque auctor post bellum Bosnense anno 1415. gestum pertractat, docti pugnam contra Ikach commissam usque ad hunc diem errantes anno 1416. factam esse affirmant, quamquam diploma quoddam iam citatum (cf. adnotationem 19.) anno 1397. editum hanc pugnam anno superiore commissam esse nos certiores facit.

<sup>21</sup> Nicolaum filium Petri de Macedonia *A. Bárány: op. cit. pp. 113-114.* „Péterfy Miklós” nominat, qui praenomen „Maczedóniai” habuit. Cf. *idem: op. cit. p. 118: „Maczedóniai Péterfy Miklós, Péter fia”.* Item *L. Böhm: Délmagyarország vagy az úgynevezett Bánság külön történelme (Historia separata Hungariae meridionalis alias regionis Bánság nominatae). Pest. 1867. Tom. I. p. 68: „Péterfy Miklós”,* qui e Macedonia duxit originem. Qui auctores errorem suum ex operibus *Fr. Griselini: Versuch einer politischen und natürlichen Geschichte des Temeswarer Banats. Wien, 1780. Tom. I. p. 26.* et *J. Hammer: Geschichte des osmanischen Reiches. Pest, 1834. Tom. I. p. 291.* acceperunt. *Griselini* et *Hammer* autem Johannem de Thurócz et Antonium de Bonfinis appellant; sed apud eos tantum denotatio „filius Petri” invenitur.

depictos equestres Nicolai de Macedonia et bassae nomine Ikach imagines esse opinio familiae erat. <sup>22</sup>

Nicolaus de Macedonia etiam posthac in diplomatibus conpluries memoratur, ex quibus eum summae auctoritatis baronem fuisse et patriae contra Turcas defendendae usque ad vitae finem operam navasse elucet. <sup>23</sup> Anno 1416. una cum consobrino, Simone filio Donch, ut in Hungaria meridionali pecuniam colligeret, ei mandatur, qua nobiles Hungari, qui in expeditione Bosnensi a Turcis capti erant, redimerentur. <sup>24</sup> In quodam autem diplomate anno 1416. edito vicecomes comitatus Temes nominatur. <sup>25</sup>

Quibus testibus familiam rege Ludovico Andovicensi (Anjou) in numerum regni nobilium esse sublatam Sigismundoque regnante summos honores auctoritatemque adeptam verisimile est. Circa annos saeculi XIV. ultimos et primos XV. quaedam familiae membra in universitate externa didicisse comperimus; in matricula facultatis iurisprudentiae Universitatis Viennensis nomina ex anno 1389. Andreae de Macedonia, ex annis autem 1416—1418 Ladislai de Macedonia (vel Massidonio) inveniuntur. <sup>26</sup> Eoque tempore familiae facultates non solum in comitatibus Temes et Torontál, sed etiam aliis locis Hungariae inferioris plures pagos eorumque regiones continebant: ex diplomate supramemorato anno 1379. edito scimus familiae a Sigismundo rege pro meritis nobilium de Macedonia in bellis contra Turcas gestis partim exstinctorum, partim vulneratorum in comitatibus Baranya et Tolna magnas possessiones esse donatas. <sup>27</sup> Paulo post pars possessionum, quae in comitatu Temes habebantur, familiae Dóczy pignus pervenit; anno autem 1478. tota haec possessio eidem familiae conceditur. Anno 1434. Nicolaus filius Petri in comitatu Torontál pagos Nagyszentpéter et Perjámos in possessionem accepit; ex quo sedes familiae de Macedonia pagus Perjámos erat usque ad regionem meridionalem Hungariae a Turcis saeculo XVI. occupatam, quamquam partem pagi Perjámos ceterosque pagos vicinos — Varjas, Fejéregyház, Oszkola, Patateleke etc. — pro tempore in possessione familiae Dóczy supramemoratae fuisse ex indiciis diplomatum manifestum est. <sup>28</sup> Certe scimus Nicolaum de Macedonia, filium Johannis fratremque Ladislai nostri, anno 1508. etiam hoc loco castellum habuisse. <sup>29</sup>

<sup>22</sup> I. Nagy: op. cit. Tom. IX. pp. 250 sqq.

<sup>23</sup> Nobiles illius aetatis res gestas fortiaque facta in bellis contra Turcas commissis persaepe supra modum extollunt; vero perpauci de facto pugnabant. Cf. L. Elekes: Hunyadi János (Johannes de Hunyad). Budapest, 1952. pp. 49-50. Nicolaum de Macedonia tamen nobilem fortissimum et in bellis contra Turcas gerendis studiosissimum fuisse e laudationibus fontium illius aetatis luce clarius.

<sup>24</sup> G. Fejér: Codex diplomaticus. Buda. 1843. Tom. X. Suppl. VIII. (1382—1437) pp. 564. sqq. Cf. M. Lendvay: Temes vármegye nemes családai (De familiis nobilibus comitatus Temes). Budapest, 1896. pp. 67-68, et A. Bárány: op. cit. pp. 124-125.

<sup>25</sup> M. Lendvay: loc cit.

<sup>26</sup> K. Schrauf: Magyarországi tanulók a bécsi egyetemen (Studentes Hungarici in Universitate Viennensi). Budapest, 1892. pp. 10, 43 et 122.

<sup>27</sup> Cf. adnotationem 19.

<sup>28</sup> Cf. M. Lendvay: op. cit. passim et S. Borovszky: T. V. pp. 72-73. ceteraque opera citata passim.

<sup>29</sup> S. Borovszky: Cs. V. T. loc. cit.



Saeculo XV. ineunte gens in duas familias tam disiuncta est: alterius membra Donch aut filii Donch de Macedonia, alterius filii Petri de Macedonia in diplomatibus nominatur. In quodam diplomate anno 1446. edito una cum Ladislao filio Donch, qui possessionem Nyires pignus concessit, carnales Stephanus, Franciscus, Nicolaus, Andreas patruelisque Johannes filius Nicolai filii Petri enumerantur. <sup>30</sup> Idem Donch de Macedonia, quem patrem carnalium praedictorum e diplomate fuisse scimus, alius ac banus Szörényiensis annis 1452–1454 memoratus aegre haberi potest; <sup>31</sup> itaque verisimile est eundem familiae Donch de Macedonia nomen dedisse. <sup>32</sup>

In diplomatibus haec indicia de familia inveniuntur. Saeculo XIX. duo stemmata genealogica composita sunt, quorum tamen, quia inter se discrepant, praeterea permultas difficultates chronologicas habent et documentis contemporaneis contradicunt, neutrum accipere licuit.<sup>33</sup>

Ladislaus noster certissime filius Johannis, nepos Nicolai Petri filii, viri fortissimi summaeque auctoritatis fuit. De matre stemmata virique docti varia proferunt. Iván Nagy non dubitat. quin uxor Johannis de Macedonia, mater Ladislai Anna Gara fuerit.<sup>34</sup> Contra Vincentius Bunyitay Agnetem Gyulafy indicat prolato stemmatis in Archivo Nationali (Országos Levéltár) servati testimonio. <sup>35</sup> Illa stemmata genealogica, quibus Iván Nagy opinionem suam fulciebat, cum de ceteris quaestionibus tum de uxore Johannis de Macedonia inter se discrepant. Ex altero Annam Gara uxorem vere Johannis de Macedonia fuisse cognovimus; <sup>36</sup> ex altero tamen eadem Anna uxor Emerici Kende fuisse videtur, dum Johannes de Macedonia ibidem vir alter Catherinae, sororis Annae memoratur, quam prior Petrus Markos de Kiszállás in matrimonium duxerat.<sup>37</sup> Sed haec indicia pro certo habere difficile est; utrumque enim praetermittit, quod Ladislaus noster Stephanusque de Báthor cognati erant, quamquam hanc cognitionem et ipse Ladislaus praecipue commemorat. Itaque tandem opinionem illam Vincentii Bunyitay testimoniumque stemmatis in Archivo Nationali conservati de quaestione a nobis pertractata verum indicare censemus: matrem Ladislai de Macedonia

<sup>30</sup> Cf. E. Kammerer: A Zichy és Vasonkeői gróf Zichy-család idősb ágának okmánytára (Regesta diplomatum stirpis vetustioris familiae Zichy de Zichy et Vasonkeő). Budapest, 1899. Tom. IX. p. 108. et p. 181.

<sup>31</sup> M. Lendvay: loc. cit. et Fr. Pesty: A szörényi bánóság és Szörény vármegye története (Historia banatus et comitatus Szörény). Budapest, 1877. Tom. I. pp. 282-283.

<sup>32</sup> S. Borovszky: Cs. V. T. Tom. II. p. 173.

<sup>33</sup> De problematibus stemmatum genealogicorum vide appendicem postpositam.

<sup>34</sup> I. Nagy: loc. cit.

<sup>35</sup> V. Bunyitay: op. cit. Tom. I. p. 388. — Stemma in Archivo Nationali servatum haec continet: „Johannes Weseniy habuit filiam Sophiam, que erat tradita Ladislao Ghyulaffy. Eadem genuit filiam Agnetem, que fuit copulata Johanni de Machedonia, que demum genuit Franciscum, Nicolaum et Ladislaum de eadem Machedonia; (a manu aliena scripta: et matrem Sigismundi de Forgach de Gyemes). Idem Ladislaus Ghwilaffy ex eadem Sophia habuit filiam nomine Juliam, que fuit tradita Andrew de Bathor, ex qua idem genuit Stephanum et Andream de eadem Bathor.”

<sup>36</sup> I. Nagy: op. cit. Tom. IV. pp. 327 sqq. De fontibus v. ibidem 327/5. et 331/3.

<sup>37</sup> I. Nagy: op. cit. Tom. IV. p. 331. De fontibus v. ibidem 331/3. et 331/4.

sine dubio Agnetem Gyulafy fuisse,<sup>38</sup> cuius soror, Julianna uxor Andreae de Báthor, genuisset Stephanum de Báthor, Comitem palatinum, fratrem Ladislai nostri patrualem.

Ladislaus, ut videtur, tres fratres, Franciscum, Nicolaum et Johannem unamque nomine ignotam sororem habuit.<sup>39</sup> Natu maximum fratrum Franciscum, quem anno 1504. iam mortuum esse certe scimus,<sup>40</sup> fuisse veri est simillimum. Johannes tantum anno 1527. inter fratres Ladislai memoratur, quos Noster possessores castri Léva (Illawa) praediique Játhó vocati, a Ferdinando iam tum Hungariae rege una cum omnibus oppidis et pertinentibus sibi donatorum, fecerat.<sup>41</sup> De illa quidem nomine ignota sorore nil, nisi eam matrem Sigismundi Forgách de Gimes fuisse, audimus.<sup>42</sup> Plurima de vita rebusque gestis Nicolai ad nostras aures fama pervenerunt, quem in insigni generis „comitem Chanadiensem, vicecomitem et castellanum Themesiensem” una cum Ladislao fratre descriptum videre possumus in libro

<sup>38</sup> N. B.: praeter Annam (Catherinam?) Gara et Agnetem Gyulafy tertiam virginem, filiam Nicolai de Várda, quoque sponsam ab eodem Johanne de Macedonia habitam esse e fontibus elucet. Stephanus de Várda, archiepiscopus Colocensis, in epistola 9. Februarii 1457. scripta Nicolao fratri haec nuntiavit: „*Notificaveramus superioribus diebus sponsalia contracta inter egregium Johannem de Macedonia et unam ex vestris filiabus...*” aliaque inter alteram filiam et Nicolaum de Hagymás. Johannes de Macedonia „*aliis factis suis postpositis quibuscunque die dominico proximo... versus Warad iter accipiet.*” Mox postscriptum: „*Item isto modo filias vestras Johanni de Machadonia et Nicolao Hagmas tradidimus videlicet, quod si Johannes de Machadonia minorem filiam vestram copulaverit, extunc Nicolaus Hagmas maiorem filiam vestram in uxorem ducit, si vero dictus Johannes maiorem recipiet, tunc Nicolaus Hagmas sequenter vicem mediocrem copulabit...*” Cf. Gróf Zichy okmánytár op. cit. Tom. IX. pp. 542-544. Eundem Johannem de Macedonia patrem Ladislai nostri esse neque duos Johannes nomine cognatos eodem tempore vixisse versimile est. Itaque matrem Ladislai de Macedonia Agnetem Gyulafy fuisse pro certo habendum est, unde eam aut unicam aut primam fuisse uxorem Johannis conici nihil postulat.

<sup>39</sup> Opiniones doctorum etiam de hac quaestione inter se discrepant. Sororem illam, quae in stemmate supramemorato (v. adnot. 35.) invenitur, I. Nagy non cognovit; fratrem autem quendam Petrum idem memorat. De hoc Petro authenticum nil audimus: eum non alium, nisi illum generalem Cassoviensem. Nicolai de Macedonia filium, qui medio saeculo XVI. partibus Ferdinandi fautor agebat, fratrem igitur Ladislai nostri fuisse patrualem sine dubio est. Aberratio ex A. Gánóczy scriptis divulgata videtur, qui op. cit. Tom. II. p. 42. haec scripsit: „*Frater Ladislai, Petrus de Macedonia Cassoviae praefectura claruit...*” etc. Idem stemma aliud quoddam in Bibliotheca Nationali Széchenyiana servatum continet. Sed iam J. A. Keresztury: Compendiaria descriptio fundationis ac vicissitudinum episcopatus et capituli M. Varadiensis. M. Varadiensis. 1806. Tom. II. pp. 3-4. cognitionem recte assignavit: „*Ladislauum de Macedonia, Nicolai fratrem ac Petri de Macedonia... magistri patruum.*”

<sup>40</sup> In diplomate quodam 28. Aprilis 1504. edito olim Franciscus de Macedonia memoratur, quem tamen 24. Aprilis 1504. adhuc vivum fuisse alia ex fonte perspicuum est. V. L. Thallóczy-S. Horváth: Jajcza-vár története (Historia castelli Jajcza). Monumenta Hungariae Historica. Dipl. XI. Budapest, 1915. p. 192.

<sup>41</sup> Cf. Magyar Sion IV (1866) pp. 534-535.: „...*memorato Ladislao de Macedonia et per eum Nicolao et Johanni de eadem Macedonia. fratribus suis ipsorumque heredibus et posteritatibus dedimus.*” Idem fortasse in epistola Nicolai Oláh „*Johannes tuus*” memoratur. A. Ipolyi: Nicolai Oláh codex epistolaris 1526-1538. Monumenta Hungariae Historica. XXV. Budapest, 1876. (in sequentibus: C. E.) pp. 26-27.

<sup>42</sup> Archivum Nationale: Neo Reg. Act. Fasc. 1083 nr. 4. Cf. adnot. 35.

orationem Norimbergae habitam continenti; idem praeterea in carmine „Aquila ad viatorem” inscripto laudatur. Nicolaus usque ad vitae finem factioni nobilium favebat. Interfuit exsequiis palatini Emerici Perényi de Terebes una cum extincti amicis tum castellanus Temesiensis.<sup>43</sup> Deinde inter fideles Johannis de Zápolia moratur. Anno 1516. iam comes Csanádiensis fuit.<sup>44</sup> Anno 1518. in diaeta Bácsiensi in consilium regni ad potestatem regiam coercendam constitutum eligitur.<sup>45</sup> Praeterea artis familiaritatis vinculis consobriano Stephano de Báthor coniunctus est, cui castellano Temesiensi eum suffectum ad tempus fuisse scimus (paulo post scilicet castellanus ipse Nicolaus fuit);<sup>46</sup> vice mox eiusdem Stephani fungens vi aggreditur possessiones Francisci de CsaHol episcopi Csanádiensis, qui palatino de donatione beneficij cuiusdam ecclesiastici repugnaverat.<sup>47</sup> Autumno anni 1526. in diaeta in oppido Tokaj celebrata invenitur una cum Johannis de Zápolia fidelibus,<sup>48</sup> anno autem 1527. ab eodem mandatum accepit, ut comitia regni in mense Augusto Siculis nobilibusque Hungariae Tordam, Saxonibus in oppidum Medgyes indiceret, in quibus Johannes de Zápolia rex Hungariae haberetur cognoscereturque coronatus.<sup>49</sup> Quo tempore iam vicevayvoda Transsilvanus fuit: hoc Johannes praemio eum pro fidelitate industriisque affecerat.<sup>50</sup> Anno 1531. rex Johannes Nicolao suo favens ad se citavit Petrum Kosztká, capitaneum Partium Superiorum, qui arcem Léva Nicolao fratrique Johanni de Macedonia et heredibus suis a Ladislao assignatam usurpavisset.<sup>51</sup> Ultimum invenitur anno 1532. indicium, ex quo etiam tunc comes Csanádiensis fuisse videtur, simul factionis Zápolianae fautor.<sup>52</sup> Sed filius nomine Petrus iam partibus Ferdinandi se adiunxit, a quo pluribus honoribus adornatus est.<sup>53</sup>

Adhuc indicia de familia maioris momenti in lucem proferre placuit. In sequentibus de vita ipsius Ladislai disseremus.

Ladislao de Macedonia anno 1479. vel paucis annis ante natus est.<sup>54</sup> Locus natalis haud notus, fortasse tamen Perjámos (Priamus), pagus ille supramemoratus fuit, quem familiam eo tempore sedem habuisse comprobavimus.

<sup>43</sup> J. Fögel: op. cit. 32/1.

<sup>44</sup> J. Fögel: op. cit. p. 37.

<sup>45</sup> P. Jászai: A magyar nemzet napjai a mohácsi vész után (Historia Hungariae post cladem Mohácsianam). Pest, 1846. Tom. I. p. 33. Cf. J. Fögel: loc. cit.

<sup>46</sup> J. Fögel: op. cit. 37/5.

<sup>47</sup> S. Borovszky: Cs. V. T. Tom. I. p. 157.

<sup>48</sup> V. Fraknói: A magyar országgyűlések története (Historia comitiorum regni Hungariae). Budapest, 1874. (in sequentibus: M. O. T.) Tom. I. p. 2.

<sup>49</sup> V. Fraknói: M. O. T. p. 78.

<sup>50</sup> S. Borovszky: Cs. V. T. loc. cit.

<sup>51</sup> Cf. Magyar Sion IV (1866) p. 520.

<sup>52</sup> S. Borovszky: Cs. V. T. loc. cit.

<sup>53</sup> Quidam doctorum ex hoc facto Nicolaum ultimis vitae annis ad partes Ferdinandi transisse coniecerunt; quod tamen nihil comprobatur.

<sup>54</sup> Vincenzo Guidotti anno 1525. scripsit: „de età di anni 46 in circa, homo molto eloquente...” Cf. Fr. Firnhaber: op. cit. p. 136.

Nec de puero nec iuvene quid certi habetur. Ex orationibus eruditio non mediocris studiorum litterarum elucet, itaque Nostrum in universitate quadam externa didicisse, fortasse Viennensi, conici potest; familiae enim nobiles persaepe in eandem universitatem filios mittere solebant.<sup>55</sup> Quando sacerdos sit consecratus, item ignoratur. Circa annos 1510. et sqq. eum iam archidiaconum de Baranya et canonicum Quinqueecclesiensem fuisse satis comprobatum est.<sup>56</sup> Episcopus Quinqueecclesiensis eo tempore Georgius de Szatmár (postea archiepiscopus Strigoniensis) erat. Hic homo magni ingenii multos circa se collegit viros, qui studia humanitatis profitebantur:<sup>57</sup> necessitudines cum doctis studiorum humanitatis externis contrahebant neoplatonicorumque more convivia (symposia) celebrabant, in quibus cum disputationes doctae tum potiones usque ad inebriendum duce ipso Georgio episcopo fiebant.<sup>58</sup> Quoddam eiusmodi symposium — anno fortasse 1516. — Quinqueecclesiis in domo Michaelis doctoris vicarii comparatum memoratur a Valentino Cybeleio, qui aderat in cena, cum praesentes viri doctissimi „de natura et observatione accentuum” disputabant. Ibidem Ladislaus noster archidiaconus quaestionem de vini et aquae potioribus, uter recte faceret, disserebat ipse vinum vinique potiores collaudans. Paulo post Cybeleius praedictus composuit „Opusculum de laudibus et vituperio vini et aquae”, quod Georgio episcopo et Ladislao de Macedonia dedicatum anno 1517. edidit.<sup>59</sup> Ex doctis circa Georgium de Szatmár congregatis Ladislaus noster Stephano Broderico et Nicolao Oláh summa familiaritate adiunctus est, quibuscum usque ad vitae finem in amicitia erat.<sup>60</sup>

Eruditione rhetorica studiorumque humanitatis eccellente,<sup>61</sup> quia familiaritate et propinquitate cum Stephano de Báthor, palatino regni coniunctus erat, paulo post in vita publica quoque eum egisse certiores facti sumus. Anno 1520.

<sup>55</sup> Cf. adnot. 26. In indice studentium Hungarorum, qui in Universitate Viennensi didicerunt, Ladislaus noster non memoratur.

<sup>56</sup> Cf. G. Pray: Specimen hierarchiae Hungaricae. Pannoniae-Cassoviae, 1779. Tom. II. 390/1.: „Erat prius archidiaconus de Baranya et canonicus Quinqueecclesiensis”. Valentinus Cybeleius eum tantum archidiaconum memorat. V. Valentinus Cybeleius Varadiensis: Opusculum de laudibus et vituperio vini et aquae. Ed. M. Révész. Budapest, 1939. (Bibliotheca).

<sup>57</sup> Potationes supra modum in relationibus legatorum ceterisque fontibus persaepe memorantur; legatus Venetiae de Georgio de Szatmár „se imbriga volontiera” scripsit. Cf. T. Ortway: Mária, II. Lajos magyar király neje (Mária, uxor Ludovici II. regis Hungariae), Budapest, 1914. p. 155. Item St. Brodericus Cladis Mohacsianae sub Ludovico II. descriptio. s. d. pp. 40—41.

<sup>58</sup> P. Tóth-Szabó: Szatmári György primás (De Georgio de Szatmár archiepiscopo). 1457—1524. Magyar történelmi életrajzok XXII. Budapest, 1906. pp. 282 sqq.; P. Klimes: Bécs és a magyar humanizmus (Vienna et humanismus Hungaricus). Budapest, 1934. p. 68.; J. Horváth: op. cit. pp. 209-210.; De studiis et necessitudinibus cum doctis studia humanitatis profitentibus Italicis cf. V. Bunyitay: op. cit. Tom. I. p. 353. De his omnibus quaestionibus cf. T. Kardos: op. cit. passim.

<sup>59</sup> Ed. cit. adnot. 56.

<sup>60</sup> P. Klimes: op. cit. et Ö. Noszkay: Oláh Miklós levelezésének művelődéstörténeti vonatkozásai (De indicis ad historiam culturae pertinentibus, quae in epistolis Nicolai Oláh inveniuntur). Érsekújvár, 1903. p. 6.

<sup>61</sup> Eruditionem rhetoricam Ladislai nostri aequales, Ursinus Velius et Vincenzo Guidoto, praecipue extollunt. Cf. Casparis Ursini Velii: De bello Pannonico libri X. Ed. A. Fr. Kollar. Viennae, 1762. Libr. I. p. 3 et IV. pp. 73 sqq.; Fr. Firnhaber: op. cit. p. 136.

— tunc canonicus Quinqueecclesiensis — in Poloniam mittitur legatus, nuncius et procurator palatini, ut inter eum et Sophiam, Ducem Massoviae, filiam legitimam Annae Ducis et sororem Stanislai et Janussy Ducum Massoviae Sigismundo, rege Poloniae, auctore et compositore, matrimonium conciliaret;<sup>62</sup> quod anno sequenti vero contractum est.<sup>63</sup> Anno 1523. iterum legatus Stephani de Báthor in Poloniam profectus est. Stephanus enim palatinus, „propter furorem popularem dignitate sua exauctoritatus, quasi ipse nimium severe erga regnicolas regni Hungariae se gessisset”, per legatum Ladislaum de Macedonia, qui „lugubra oratione recensuit calamitatem” Stephani, regem Sigismundum rogavit, ut apud Ludovicum II. nepotem interveniret. Similiter Sophia, uxor Stephani palatini, per litteras Sigismundo supplicavit. Rex Poloniae pro virili parte agebat: epistulas ad Ludovicum II. Hungariae regem uxoremque eius, Mariam, item archiepiscopum Strigoniensem per cubicularium suum misit; praeterea palatino Cracoviensi, Christophoro Szidlovicio, in Hungariam misso, impensius mandavit, ut „curam istic omnem adhiberet de ipso domino Stephano ad locum et dignitatem suam restituendo, ne haec nota in domo sua et posterorum suorum permaneret, quasi pro crimine aliquo eadem sua dignitate privatus esset...”, efficereturque apud Ludovicum, ne quiddam bonorum a Stephano auferretur, „antequam illa pecunia summa, pro qua inscripta sunt, illi restitueretur... et super his haberet... mutuum intelligentiam cum reverendissimo domino Agriensi cancellario.”<sup>64</sup>

Anno 1520. post officium primae legationis in Polonia confectum Ladislaus a rege Ludovico pro merito et virtutibus episcopus Sirmiensi electus et denominatus est, postquam de isto episcopatu Sirmiensi Johannes Országh in Váciensem translatus erat.<sup>65</sup> Duobus post annis autem Ladislaus episcopus orator legatorum in comitia imperialia Norimbergae celebranda missorum a diaeta generali eligitur, qui de „negotiis expeditionis contra Turcos... suscipiendae deque ratione et forma belli gerendi, necnon auxilio... regno Hungariae ferendo aliisque rebus omnibus ad huiusmodi expeditionem et auxilium praestandum necessariis” agerent, tractarent, disputarent, concluderent et nomine statuum Hungariae omnia, quae ipsi facere possent, promitterent.<sup>66</sup>

<sup>62</sup> Cf. G. Pray: op. cit. Tom. II. 390/1.; J. Fögel: op. cit. p. 31.; V. Bunyitay: op. cit. 388/3. Textus foederis in Archivo Nationali (Dl 23 438) legi potest; in quo Ladislaus de Macedonia „nuncius et procurator Domini Palatini” memoratur.

<sup>63</sup> J. Fögel: loc cit.

<sup>64</sup> Cf. Acta Tomiciana Tom. VIII. pp. 191-194.

<sup>65</sup> Diploma a rege Ludovico editum de denominatione G. Pray op. cit. pp. 389-390. invenitur. Cf. P. B. Gams: Series episcoporum Ecclesiae Catholicae. Lipsiae, 1931. in numeris episcoporum episcopatus Sirmiensi ad annum 1520.: „Ladislaus III. Macedonay nom (inatus).”

<sup>66</sup> Litterae mandata statuum continentes inveniuntur D. Szabó: A magyar országgyűlések II. Lajos korában (Comitia regni Hungariae sub rege Ludovico II.). Budapest, 1909. pp. 185-187. Cf. P. Török: A mohácsi vész diplomáciai előzményei (Quae actiones politicae cladem Mohácsianam praecesserint.), Mohácsi emlékkönyv. s. d. pp. 141 sqq.; J. Holub: Az 1522-i országgyűlés és törvénycikkei (De comitiis regni anno 1522. celebratis et eorum articulis). Századok III (1918) pp. 496 sqq. et B. Iványi: Adalékok nemzetközi érintkezéseink történetéhez a Jagello-korban (Indicia ad historiam relationum internationalium Hungariae in aetate Jagellonum). Történelmi Tár VII (1906) pp. 321 sqq.

Anno 1521. Turcae Nándoralbam (Belgrád) ceperunt, itaque paganis iter in viscera Hungariae patefactum est expeditioque illa generalis magis ac magis urgens et necessaria esse videbatur. Sed rex Ludovicus impotentia processeque regni negligentia prohibiti haesitantesque regnicolis spem salutis praebere vix potuerunt, et ipsi auxilia externa, primo loco, quae a Carolo V. imperatore erant promissa,<sup>67</sup> sperantes. In comitiis imperialibus 23. Mart. 1522. habitis iam tractatum est de subsidiis Hungariae mittendis; decretionem in comitia Viennae aestate eiusdem anni habenda distulerunt. In quibus legati Hungarorum quoque duce Georgio de Szatmár archiepiscopo Strigoniensi affuerunt (inter eos etiam Ladislaum nostrum fuisse sine dubio est<sup>68</sup>), sed quoniam legati litteris mandatisque statuum regni Hungariae instructi non fuere, de subsidiis maioribus mittendis decerni non potuit. Quamquam pedestres 3000 ad fines Croatiae missi sunt, decretum de auxiliis maioribus in comitia imperialia Kalendis Septembribus Norimbergae habenda dilatum est, quo legati Ludovici regis et statuum regni Hungariae quoque vocati invitati que sunt. Rex Ludovicus tunc in Bohemia, Pragae, in diaeta Bohemorum moratus est, ut contra Turcas auxilium rogaret. Palatinus quidem desperans regem ad tempus in Hungariam reversurum, in diem 10. Augusti Budam diaetam indixit, in qua ad comitia imperialia legati sunt electi duo praesules, quorum unus Ladislaus episcopus Sirmiensis fuit, praeterea duo barones et nobiles quattuor.<sup>69</sup> Legalis mandatum est, ut prius Pragam ad Ludovicum regem proficiscerentur rogarentque eum, ut diaetam generalem in Novembri eiusdem anni convocaret, ubi auxiliis Germanicis iam impetratis de bello Turcis inferendo decerneretur. Legati litteris statuum 28. Augusti datis instructi, diaeta dimissa, Pragam abierunt,<sup>70</sup> unde instructiones regias usque ad diem 29. Septembris exspectantes tandem Norimbergam profecti sunt,<sup>71</sup> quo 12. Octobris pervenerunt. Comitiis imperialibus 17. mensis sequentis initis, Ladislaus de Macedonia, orator Hungariae legationis tertio die, 19. Novembris facultatem ad orationem habendam accepit.<sup>72</sup>

<sup>67</sup> Quod ex oratione Ladislai nostri elucet: „... non dubitavit sacra et catholica maiestas subsidium a principibus et omnibus huius sacri Romani imperii ordinibus sibi pro suscipienda imperiali corona et recuperandis in Italia amissis ommissis oblatum contra fervidos Turcas convertere...” Alias: „Considerate, ... quanta animi alacritate afficietur sacratissima caesarea maiestas, ... cum intellexerit copias, quibus, ut christianitatem muniret, se spoliaverat, ex constitutione sua iam expeditas ad fines Hungariae ex hoste vindicandos properare. Expendite, num vos amplius dubitare conveniat in hoc auxilio tam sancto...” etc.

<sup>68</sup> Quamquam Ladislaus de Macedonia in litteris mandata continentibus inveniri non potest, consilio una cum Georgio de Szatmár interfuisse videtur. Cf. Deutsche Reichstagsakten unter Kaiser Karl V. (Jüngere Reihe) Tom. III. Gothae, 1901. pp. 197 sqq.

<sup>69</sup> Alter praelatus Johannes episcopus Iaurinensis; barones: Johannes Drágyfy tavernicorum magister et Petrus de Korláthkő curiae regiae magister; nobiles autem: Stephanus de Werbőcz personalis regius, Johannes de Cetye vicepalatinus, Sigismundus Pogány comes supremus, Michael de Kenderes consiliarius regius. D. Szabó: op. cit. p. 56. Cf. J. Holub: op. cit. 499/3 et V. Fraknoi: Werbőczy István a mohácsi vész előtt (Stephanus de Werbőcz ante cladem Mohácsianam). Századok, 1876. p. 600.

<sup>70</sup> Litteras mandata statuum Hungariae continentis in lucem edidit D. Szabó: op. cit. pp. 185-187. Cf. adnot. 66.

<sup>71</sup> Instructionem a Ludovico rege datam vide B. Iványi: op. cit. pp. 344-349.

<sup>72</sup> Quando legati Norimbergam pervenerint quandoque oratio Ladislai nostri habita sit, viri docti varie exponunt. Secundum J. Holub: op. cit. p. 499. legati

Oratio cum periodo Ciceroniana eleganter incepta extemplo res secat. Principes imperii superioribus comitiis cum Wormaciae tum Norimbergae, postremo in Nova Civitate Austriae omnem Hungariae calamitatem profecto intellexisse. Ipsum Carolum V. imperatorem sacri Romani Imperii promississe se auxilium ab „ordinibus sibi pro suscipienda imperiali corona et recuperandis in Italia amissis omissis oblatum contra fervidos Turcas” converturum; ne principes igitur auxiliares maiestati caesareae decretas in defensionem Hungariae convertere recusent. In argumentatione momentis a peritis studiorum humanitatis collectis illa miscentur argumenta, quae conditiones Hungariae praesentes et experientia bellorum oratori dictaverunt. A maioribus Hungarorum fidelibus amicis sociisque sacri Romani Imperii, pro ipsorum et christianitatis quiete, onera maxima bellorum annos iam 150 suscepta, Hungariae regni ordines „in alendis copiis diversis et per continua hostis spolia et caedes” omnes defecisse; agros, urbes, nobilissimas regiones Hungariae „vasta solitudine et situ foede horrere” multamque „domum... luctu et maerore vacare.” Considerandum esse, „qualis clipeus, qualis murus fuerit hactenus Hungaria Germaniae... et quid deinceps salva praestare possit!” Arma Turcarum populos christianos in iugum servitutis cogentium „desidia et inter se christianorum dissidia”, item „otio et desidia principum christianorum” adiuta. Nunc autem non solum fide christiana, sed etiam nominis et gloriae Germaniae celebritate postulari, ut, quicquid de vastitate hostis cladibusque supersit, defendatur et ad „expeditionem sacrosanctam” summa studia conferantur. In quibus argumenta virorum studia humanitatis antea profitentium cognosci haud difficile est, quae Ladislaus noster orationi suae diligenter et non sine ingenio inserebat; sed aliam quoque argumentationem inveniri posse supradiximus. Nándoralba anno superiore amissa incendium iam in proximo ardere et hostem in ipsius viscera Hungariae penetravisse. Provinciis demptis simul vectigalia finesque magnopere minuta esse. Turcas iam confluentem Danubii et Száva habere ac tenere liberum utriusque fluvii traiectum: si Tibiscum et Dráva capere potuerint, nullo „navigabili fluvio usque ad Rhenum, inferioris Germaniae fluvium, copias hostis” coerceri. Quibus fluviiis traiectis nec munimenta nec urbes ingressum prohibere et avertere copiarum Turcae valere, cum „provinciarum... situs inaccessos, Alpium rupes invias, urbium et castrorum munitiones insuperabiles... cum multiplici stratagemate et astu tum annonae penuria fatigari” posse. Extemplo igitur ingrediendum esse: sola Nándoralbae obsidione posse praestari, ut Turcae Rhodo obsidione soluta eodem redire cogantur. Hostis potentiam adhuc minorem esse, sed virtutem et temeritatem victoriis continuis magis ac magis corroborari, vires autem Hungariae nondum quidem funditus attritas languescere atque deficere. Multo certiores armorum christianorum triumph-

die 12. Octobris pervenerunt, de quaestione expeditionis contra Turcas suscipiendae autem tertio die post comitia imperialia inita (17. Octobris?) consiliabatur. P. Török: op. cit. p. 164. die 12. Octobris perventum esse, comitia imperialia mense Novembri inita censet; V. Fraknoi: A Hunyadiak és a Jagellók kora (Aetas Johannis et Matthiae de Hunyad atque Jagellonum). A magyar nemzet története. Comp. S. Szilágyi: Budapest, 1896. Tom. IV. p. 440. perventionem legatorum ineunte Novembri fuisse, dummodo orationem decimo die post 19. Novembris habitam esse arbitratur. Doctores quidem — more patrio — omnes praetermiserunt indicia authenticissima, quae et in Deutsche Reichstagsakten op. cit. pp. 215 sqq. et in operibus ipsius oratoris nostri inveniuntur.

hum nunc fore videri, quam si periclitata fractaque Hungaria Turcae ex propinquo Germaniam invasuri sint. Non igitur exspectandum esse, quoad christianitas omnis et animis et armis conveniat, sed hieme iam extemplo copias ab imperatore Carolo V. promissas contra Turcas expediendas esse, ut vere primo Hungariae succurrere possint. Neque illos audiendos, qui classem Turcarum aequo robustiorem aestiment quique „munitionem Nandoralbae et aliorum hostis castrorum plus aequo praedicent”: si ea Turcae capere potuerint, etiam christianos recuperare posse. Interea autem iterum atque iterum admonitio exauditur: „Germaniam invadere volenti per Hungariam transeundum est” periclitataque Hungaria Germaniam eadem fortuna manet!

Ne haec quidem oratio animum Germaniae principum commovit, quamquam ipse Ludovicus rex omnes, qui sibi familiaritate vel amicitia coniuncti erant, rogavit, ut legatos prospere acciperent<sup>73</sup> Legati quidem responsum imperii ordinum frustra exspectantes commentarium Ferdinando, archiduci Austriae imperiique statibus tradiderunt, in quo querelas supplicationesque Hungarorum repetebant. Post longum silentium tandem 22. Decembris legatis responsum a Ferdinando datum est: quamquam „in hac temporum difficultate tantas copias emittere neque ipsis Hungaris utile neque possibile Germaniae videatur”, visum esse tamen „in tuitionem, praesidium et defensionem Hungariae et Croatiae 4000 peditum expediri.”<sup>74</sup>

Legati officio frustra fungentes exeunte Decembri Norimberga abierunt. Sed oratio ipsa Ladislai de Macedonia maximo accepta est plausu a viris studiorum humanitatis peritis. Amici eum multis precibus, ut typis excusam publicaret, coegerunt, sicut Noster in praefatione nos certiores de hac re facit. Ex epistola Nicolai Oláh, multis post annis scripta, hanc orationem duobus praefixis carminibus a Ladislao de Macedonia, antequam in lucem ederetur, ad eum missam esse elucet; qui autem „non sententia, sed verbis” opusculum mutatum primo ad Thomam de Szalaháza, deinde tandem ad typographum misit.<sup>75</sup> Paulo post oratio in linguam Germanicam conversa quoque edita est.

At hinc de Ladislao, viro politico — excepta legatione anno 1523. in Polonia perpetrata — paene tres annos nihil audimus; quibus annis regno in luxurie mollitieque submerso baronibusque tantum iniurias et violentias committentibus ne cogitatum est quidem de patria contra Turcam defendenda.<sup>76</sup> Ladislaus noster episcopatum Sirmiensem usque ad ver anni 1526. habebat. Tunc Stephanus Brodericus praepositus tantum Quinqueecclesiensis fuit; itaque sigillum cancellariae, etsi valido pontificis maximi suffragio connixus, accipere non potuit, quoniam cancellarii episcopi esse soliti sunt statusque regni indignabantur murmurabantque quendam praepositum cancellarium fieri. Ladislaus de Macedonia episcopatu Sirmiensi sua sponte se abdicavit et ipse praepositus Quinqueecclesiensis effectus est simulque

<sup>73</sup> Cf. K. Pekár: II. Lajos király három levele Brandenburgi Kázmérhoz (Tres epistolae Ludovici II. regis ad Casimirum de Brandenburg). Történelmi. Tár VI (1905) pp. 159-163.

<sup>74</sup> B. Iványi: op. cit. pp. 350-352.

<sup>75</sup> C. E. p. 90.

<sup>76</sup> Opinio a V. Fraknói habita cf. V. Fraknói: Werbőczy István a mohácsi vész előtt. op. cit. 601/2., qui Ladislaum de Macedonia anno 1525. a Stephano de Báthor Comite palatino iterum in Poloniam missum esse affirmare velit, infirmissima videtur; hic vir doctissimus indicia in Actis Tomicianis inventa mirabili modo conturbat.



Brodericus episcopus Sirmiensis electus.<sup>77</sup> Quomodo haec permutatio impetrata sit, haud nimis scitum neque certiores sumus, quo proposito Ladislaus episcopatu se abdicaverit. Legatus pontificis, Antonius Burgio sine dubio primam partem in Ladislao de Macedonia persuadendo egit.<sup>78</sup> Praeterea episcopatus Sirmiensis regni Hungariae maxime inops pecuniarum minimique momenti fuit.<sup>79</sup> Hoc episcopatu se abdicans Ladislaus noster sperare potuit pro officio, quod maximo pontifici praestitisset, episcopatum, si ditior quidam vacaret, se accepturum esse. Ne autem interea damna caperet, non solum praepositus, sed etiam custos canonicus Agriensis factus est, postquam praedicto canonicatu Johannes Gonsagno, qui Stephano Broderico amicitia coniunctus erat, pro compensatione promissa se abdicavit.<sup>80</sup>

Proximis mensibus Ladislaus noster — homo eloquentia excellens et consiliarius regius — apud regem moratur.<sup>81</sup> Mense Junio anni 1526. consiliarius mandatum magni momenti accepit. Invasione Turcarum imminente summus pontifex Clemens VII. concessit Ludovico regi Hungariae, ut vasa aurea et argentea ecclesiastica ceteraque ornamenta in Hungaria et Croatia, ex domidia parte,<sup>82</sup> ab ecclesiis adimeret, quae ad monetam excudendam verterentur.<sup>83</sup> Delecti sunt in comitiis Ladislaus de Macedonia, Nicolaus de Gerend et Petrus Bornemissza de Kápolna consilarii regis, quibus per speciales litteras,<sup>84</sup> ut res ecclesiasticas exigendas et in monetam conflandas curarent, mandatum est.<sup>85</sup> Sed hoc mandatum propter Turcas appropinquantes ad effectum duci non potuisse satis liquet. Ceterum invenitur opinio Ladislaum de Macedonia vere anni 1526. praefectus aerario regis et regni, alias thesaurarius fuisse eundemque rationes Ludovici II. expensas ab 23. Mai usque

<sup>77</sup> J. Koller: *Historia episcopatus Quinqueecclesiensis. Posoniae-Pestini, 1801.* Tom. V. p. 182. et P. Sörös: *Jerosini Brodarics István (Stephanus Brodericus de Jerosin). Budapest, 1907.* pp. 34-35. Cf. G. Pray: *op. cit.* pp. 390-301.; P. B. Gams: *loc. cit.* et V. Fraknoi: *Magyarország a mohácsi vész előtt (Hungaria ante cladem Mohácsianam). Budapest, 1884.* p. 195. Quae ipse Brodericus de hac re exponit *op. cit.* p. 10.: „... *ex episcopo Sirmiensi (sc Ladislao) Quinqueecclesiensem in gratiam cancellarii factum...*”, negligenter esse conscripta iam J. Koller recte disseruit.

<sup>78</sup> P. Sörös: *loc. cit.*

<sup>79</sup> E relatione a Vincenzo Guidoto Venetiam missa elucet proventus episcopatum Hungariae eius aetatis inter Ducatos 5000 atque 35 000 fluctuavisse, dummodo episcopatum Sirmiensem etiam in rebus secundis tantum 5—6000 Ducatos habuisse; „... *ma hora per esser sta spogliati et tolti da Turchi molti lochi del dicto episcopato po haver da 2500 non so se ariva a ducati 3000.* Cf. P. Sörös: *loc. cit.*

<sup>80</sup> P. Sörös: *loc. cit.*

<sup>81</sup> In quodam diplomate hoc tempore edito legi potest: „*Reverendus Ladislaus de Macedonia, Praepositus Quinqueecl. ac egregius Petrus Bornemissza de Kápolna, consilarii nostri...*” Cf. M. Szvorényi: *Historiae ecclesiasticae regni Hungariae amoenitates. Iaurini, 1795.* Pars IV. p. 130.

<sup>82</sup> Brodericus haec scribit: „... *Praeficit dimidii argenti ex ecclesiis accipiendi summae...*” etc. *loc. cit.*

<sup>83</sup> Litteras mandata continentes edidit M. Szvorényi: *loc. cit.* Cf. V. Fraknoi: *Magyarország a mohácsi vész előtt.* *op. cit.* p. 257.

<sup>84</sup> M. Szvorényi: *loc. cit.*: „*Per speciales litteras nostras...*”

<sup>85</sup> In litteris, quas Szvorényi in lucem edidit, tantum Ladislaus de Macedonia et Petrus Bornemissza de Kápolna memoratur; ceterae fontes authenticae praeterea (*St. Brodericus: loc. cit.* et *N. Istvánffy: Historiarum de rebus Ungaricis libri XXXV. Coloniae Agrippinae, 1622. Libr. VIII. p. 117.*) Nicolaum de Gerend, immo vero Istvánffy Franciscum Dóczy quoque adnumerant, Praeter Ladislaum de Macedonia „*plures alios*” mandata accepisse Brodericus clare exponit.

ad Kalendas Julias continentes concinasse.<sup>86</sup> Quam quidem opinionem vanam futilemque esse luce clarius. In comitiis enim die 24. Aprilis initis thesaurarius a Ludovico rege Alexius Thurzó declaratus est; tametsi Alexius coram consilio regio se huic officio insufficientem dixit et abdicavit, Ludovicus rex officium apud eum reliquit aliumque numquam denominavit.<sup>87</sup> Praeterea et diplomata regis, ex quibus Alexium Thurzó thesaurarium fuisse elucet, servata sunt, non secus litteras habemus ipsius Alexi, qui plurium magistratus urbium se thesaurarium iterum denominatum esse certiores facit.<sup>88</sup> Quoddam diploma quidem 9. Julii 1526. a rege Ludovico editum Alexium Thurzó non solum thesaurarium fuisse, sed etiam rationes supramemoratas fortasse ipsum concinasse demonstrat.<sup>89</sup> Aberrationem plurium doctorum ex opinione Johannis Chr. Engel exortam esse, qui textum ad quaestionem pertinentem Nicolai Istvánffy falsissime interpretabatur, comprobatum est.<sup>90</sup> Item opinio

<sup>86</sup> J. Chr. Engel: Monumenta Ungarica. Viennae, 1809. Praef. XIV. p. 2. de rationibus haec scripsit: „*Rationes haec concinasse videtur Ladislaus Macedonius. . . in comitiis anno 1526. post diem S. Georgii celebratis aerario regis et regni praefectus.*” Similiter J. A. Fessler: Die Geschichten der Ungern und ihrer Landsassen. Leipzig, 1849. Tom. VI. p. 176.: (de Ludovico II.) „...sein Rentmeister Ladislaus Macedoniu, gewesener Sirmier Bischof, versorgte die königliche Küche täglich mit fünf und zwanzig Dukaten...” Item: „*Wie dürstig er war, . . . beurkundet des Rentmeisters Macedoniu Berechnung der Ausgaben von vierzig Tagen.*” L. Thallóczy-S. Horváth: op. cit. p. 346. sine argumentatione Ladislao de Macedonia „thesaurario” rationes supramemoratas vindicant. — Contra V. Fraknoi: II. Lajos király számadási könyve 1525 jan. 12—jul. 16. (Rationes Ludovici II. regis) Magyar Történelmi Tár XXII (1877) p. 47., item L. Thallóczy—A. Áldásy: A Magyarország és Szerbia közti összeköttetések oklevéltára 1198-1526. (Regesta diplomatum ad relationes Hungariae et Serviae attinentium) Monumenta Hungariae Historica. Dipl. II. Budapest, 1907. p. 368. rationes ab Alexio Thurzó conscriptas esse dicunt. Quae in Archivo Nationali Dl 24405 servantur; edidit J. Chr. Engel: op. cit. pp. 187-236.

<sup>87</sup> D. Szabó: op. cit. p. 108.

<sup>88</sup> Epistolam regis ad magistratus Posoniae 28. Mai 1526. missam v. in Archivo Nationali. Filmtár: Pozsony város levéltára nr. 2717.; epistolam Alexii Thurzó 30. Mai 1526. missam ibidem nr. 2718.; epistolas regis ad magistratus oppidi Besztercze 3. et 27 Junii 1526. missas ibidem: Besztercze város levéltára nr. 575. et nr. 582.; epistolas ad magistratus oppidi Bártfa a rege 29 Junii 1526 eodemque die ab Alexio Thurzó missas B. Iványi: Bártfa szabad királyi város levéltára (manuscriptum). Tom. II. nr. 5579. et nr. 5580.; tandem epistolam regis ad magistratus Cassoviae missam ibidem nr. 1135. Hic agimus gratias Andreae Kubinyi, qui litteras supramemoratas in mentem commendavit.

<sup>89</sup> In diplomate regis Ludovici II. 9. Julii 1426. edito haec inveniuntur: „*Nos licet rationes suas, quas coram Maiestate nostra et toto consilio nostro toties proposuit et propter quas se ad hoc officium insufficientem declaravit, iustas esse arbitrati fuerimus, tamen . . . hoc ipsum officium thesaurariatus apud eum reliquimus illudque ei imposuimus, existimantes ipsum Alexium Thurzonem idem officium magis, quam quovis alium sufferre posse.*”

<sup>90</sup> N. Istvánffy: loc. cit. haec scripsit: „... delectique ad exigendas ex semisse res iisdem comitiis sunt... Ladislaus Macedonius, Episcopus Sirmiensis, ac qui in monetam conflandas curarent, aut eadem forma militibus dividerent, Nicolaus Gerendus ac Franciscus Dóczy; . . . supra haec omnia praefecti aerario maioribus Sacerdotum collegiis, quae capitula ac conventus vulgo adpellantur, et praepositis, Abbatibus aliisque locupletioribus decreto senatus pecuniam imperarunt.” Textum mandata et rerum ecclesiasticarum exigendarum et earum in monetam conflandarum militibusque dividendarum unum ab altero clare abiungit; praeterea verbis „supra haec omnia” ab omnibus his separat officium „praefectorum aerario”, qui dignitatibus ecclesiasticis ditioribus pecuniam imperarent. Haec interpretatio praecipue convenit cum iudiciis e textu St. Broderici elucentibus: „*Praeficit dimidii*

illorum, qui Ladislaum de Macedonia legatum a rege ad Philippum Móre de Csula, abbatem Pécsváradiensem, aliosque praelatos in castra regia convocandos missum esse credunt, haud comprobatur.<sup>91</sup>

Ladislaus noster fama Turcarum ex proximo imminentium et regis in castra proficiscentis audita, antequam mandatum ad res ecclesiasticas exigendas acceptum persequeretur, ad regem reversus unaque cum eo partes Hungariae meridionales versus iter ingressus est. Ludovicus rex pro tempore in nova villa Macedoniorum cum paucis se continebat, quam inter Báta et Mohács positam a Nicolao de Macedonia, fratre Ladislai nostri habitam esse scimus.<sup>92</sup> Ladislaus in castris morabatur, cum fama arcis Pétervárad occupatae et Ujlak oppugnatae pervenit. „Ad haec Ladislaus Macedo Budam ad Reginam celeri cursu ire iubetur. Petitur a regina, ut fratrem Ferdinandum et in eius absentia Praesides Austriae pro subsidiis antea petitis Regi quamprimum submittendis urgeat et maxime pro tormentis bellicis... Deinde ut Regina urgeat Bohemos quoque et illas copias Bohemicas, pro quibus nomine et cere suo privato conducendis Mezericio Moravo Regulo pecuniam dederat” — narrat Stephanus Brodericus, qui rebus gestis et ipse intererat.<sup>93</sup> Ladislaus igitur castris relictis Budam profectus est; interea praeteriit amicum suum, Nicolaum Oláh, quem regina in castra Ludovici regis misit, ut de marito eiusque consilio nuncium acciperet.<sup>94</sup> Ille Nicolaus cito Budam reversus ibidem Ladislaum amicum convenit; pugna ad Mohács 29. Augusti 1526. infeliciter commissa, in qua ipse Ludovicus rex quoque cecidit, ambo una cum regina Viennam refugerunt.

Neque Ladislaus igitur neque Nicolaus frater pugnae ad Mohács commissae interfuere. Nicolaum eodem tempore in castris Johannis de Zápolia moratum esse verisimile est, cui etiam posthac, uti supradiximus, fidelissimus

---

*argenti ex Ecclesiis suscipiendi summae Ladislaum Macedoniae...; Nicolaum vero Gerendi... argento huic vel in monetam cundendo, vel ex assensu Oratoris Pintificii ad hos tantum solos belli usus militibus distribuendo. Exigitur praeterea per Thesaurarium pecunia ab Abbatibus, Praepositis...*” etc. Mandata igitur Ladislai de Macedonia ab officiis thesaurarii se praegnantem disiuncta esse luce clarius, quem thesaurarium vel praefectum aerario eo tempore non fuisse satis liquet. J. Chr. Engel verba supramemorata conturbat, itaque verba „*praefecti aerario*” ad Ladislaum nostrum ceterosque homines regios attinentia censens Ladislaum de Macedonia in comitiis post diem S. Georgii celebratis „*aerario regis et regni praefectum*” electum esse temere coniecit. Fessler in expositis „*des Rentmeisters Macedoniae Berechnung der Ausgaben von virzig Tagen*” opinionem a J. Chr. Engel habitam sequitur.

<sup>91</sup> In rationibus supramemoratis haec leguntur: „*Eodem die Ladislao secretario R. M. per suam M. iterum ad Dominum Palatinum, Ladislaum More, Abbatem Pechwaradiensem et alios dominos, propterea, ut cum omnibus gentibus ad partes inferiores descenderent, in legatione misso...*” etc. V. Bunyitay: op. cit. Tom. I. 389/3., nonne illum Ladislaum secretarium Ladislaum de Macedonia fuerit, in quaestionem vocat. Quod quidem verisimile non est: regem uni eademque personae simul duo mandata magni momenti non dedisse pro certo habendum.

<sup>92</sup> St. Brodericus: op. cit. p. 33.: „*Rex adhuc se in nova villa Macedoniorum, quae inter Batham et Mohacsium est, cum paucis continebat...*” Cf. V. Bunyitay: loc. cit. et Magyar Sion III (1865) p. 556.

<sup>93</sup> St. Brodericus: op. cit. p. 25.

<sup>94</sup> Ö. Noszkay: op. cit. p. 7.

est coniunctus; Ladislaus autem se reginae et Ferdinando adiunxit,<sup>95</sup> quem in corona regni Hungariae adipiscenda pro parte virili adiuvit. Nomen Ladislai de Macedonia invenimus iam in indice, in quo praelati et barones e clade Mohácsiana superstites et partibus Ferdinandi faventes a Thoma de Nádasd (mox palatino regni Hungariae) enumerantur.<sup>96</sup> Qui „seniores” — praeter Ladislaum nostrum Johannes Bornemissza, Nicolaus Oláh, Thomas de Szalaháza, Alexius Thurzó et alii — in aula Ferdinandi, regis Hungariae facti, et consuetudinem vitae illam, quae sibi Ludovico rege praebita esset, se inventuros, et ibidem studia humanitatis facilius professuros esse sperabant; eos Ferdinandi industriam in corona Hungariae adipiscenda positam ante omnes adiuisse scimus, dum „iuvenes” magna ex parte Johannem de Zápolia industriis studiisque fulciebant. Viri docti et politici, qui partibus Ferdinandi favebant, subsidium ad expeditionem contra Turcas expediendam a statibus Germaniae facilius se accepturos esse cogitabant, si Ferdinandus rex Hungariae coronaretur. Praeterea suam utilitatem fortunamque se Ferdinando adiungentes asservare posse credebant.<sup>97</sup> Ferdinandus pro diploma regale eis promisit, qui suas partes sequerentur, „*in quantum damna... per liquidationem vera inventa fuerint, se satisfacturum esse eisque intra biennium aut amissa recuperaturum aut paribus beneficiis et bonis aequivalentibus... ubi ipsis commodum erit, eosdem contentos redditurum esse. Interea vero unicuique eorum loca, in quibus tuto et commode pro ipsorum conditione unacum uxoribus, liberis et familia residere possunt, ... assignaturum, et honestam pensionem pecuniariam pro conditione cuiusque status, dignitatis ac amissorum proventuum, constituturum esse... Praelaturas autem, Dignitates ac Beneficia Ecclesiastica, ac Bona et Jura hereditaria et officia... praefatis consiliariis reginalis Maiestatis et his, qui suas partes sequentur, pro suis cuique meritis ante alios danaturum esse...*”<sup>98</sup>

Ladislaus noster in aula Ferdinandi praepositus Quinqueecclesiensis et consiliarius regius habetur.<sup>99</sup> Consiliarius, ut videtur, pro tempore apud Mariam reginam moratur, quae et ipsa Ferdinandum fratrem in corona Hungariae acquirenda adiuvit. Ladislaus una cum aliis partes Ferdinandi sequentibus conscribere postulavit litteras, quibus Ferdinandus, si rex eligatur,

<sup>95</sup> Ladislaus noster orationem praedictam Stephano de Báthor et Johanni de Zápolia dedicat, quamquam Stephanus ille palatinus et partes nobilium, quarum dux Johannes de Zápolia erat, valde divolsi fuerunt. Qua ratione Ladislaus hanc dedicationem scripserit, certe nescimus.

<sup>96</sup> P. Jászay: op. cit. Tom. I. p. 51.

<sup>97</sup> Cf. M. Papp: Brutus J. Mihály és Báthori István magyar humanistái (De viris studia humanitatis profitentibus, qui cum Michaele J. Brutus et Stephano de Báthor coniuncti erant). Budapest, 1940. p. 6.; D. Kerecsényi: Kolostor és humanizmus Mohács után (Clastrum et humanismus post cladem Mohácsianam). Magyarságtudomány, 1936.; et St. Smolka: Ferdinand des crsten Bemühungen um die Krone von Ungarn. Wien, 1878. pp. 63-64.

<sup>98</sup> Cf. M. Horváth: Magyar regeszták a Bécsi Császári Levéltárból 1118—1605. (Regesta Hungarica in Archivo Caesareo Viennensi servata) Magyar Történelmi Társulat IX (1861) pp. 94-95.; I. Katona: Historica Critica rerum Hungariae. Tom. XX. 1794. pp. 13-16. et P. Jászay: op. cit. Tom. I. pp. 263-264.

<sup>99</sup> Ita memoratur in litteris Ferdinandi: *Ladislaus de Macedonia, praepositus Quinqueecclesiensis, consiliarius...* Cf. L. Márk: A királyi tanács átalakulása és története 1526 után (De consilio regio commutato et eius historia post 1526.). Századok LI (1917) pp. 472 sqq.

in iura et leges Hungariae iuraturum et iura privilegiaque statuum observaturum se promitteret.<sup>100</sup> Affueritne comitiis mense Decembri 1526. Posoniam convocatis certe nescimus;<sup>101</sup> sed affuisse verisimile est. Die enim 21. Januarii 1527. Ladislaus de Macedonia inter comites Ferdinandi Vienna Bohemiam proficiscentis invenimus una cum Johanne Lengyel, qui apud reginam Mariam res domesticas dispensabat. Pragam 5. Februarii 1527. perventum erat, sed ambo comites paulo post rursus ad reginam iter aggressi sunt. Eodem anno (mense Augusto) ambo iterum Pragam ad Ferdinandum mittuntur.<sup>102</sup> Kalendis Augustis 1527. Ladislaus de Macedonia episcopus(?) inter barones praelatosque Posoniae ad Ferdinandum salutandum congregatos invenitur; „*ibi Palatinus salutato... rege orationem Pannonicorum nomine omnium, sed lingua vernacula... habuit, quam interpretatus fuit latine Ladislaus Macedonicus.*”<sup>103</sup>

Ferdinandus rex Hungariae electus et coronatus 4. Novembris 1527. Ladislaum de Macedonia episcopum Váradiensem — in locum Francisci de Perény — et supremum perpetuumque Comitem Bihariensis comitatus nominavit.<sup>104</sup> Sed Ladislaus episcopus electus, etiam a pontifice summo confirmatus, solum titulum habuit; rex Johannes enim eodem mense fideli suo familiarissimo, Emerico Czibak episcopatum supradictum omnibus cum beneficiis donavit. Transsilvania a Johanne de Zápólia suisque copiis habita Ladislaus noster titulo sibi retento usus beneficiorum Emerico Czibak, aemulo feliciori concedere coactus est, quamquam et rex Ferdinandus et ipse pontifex maximus eum episcopum Váradiensem usque ad vitae finem habebant. Interea anno 1534. Emericus Czibak interfectus est et in locum exincti rex Johannes Georgium Martinusium (Martinuzzi) episcopum Váradiensem denominavit,<sup>105</sup> rex tamen Ferdinandus tantum post mortem Ladislaei de

<sup>100</sup> P. Jászay: loc. cit.

<sup>101</sup> V. Fraknói: M. O. T. Tom. I. p. 28.

<sup>102</sup> P. Jászay: op. cit. Tom. I. p. 455. et W. Bauer—R. Lacroix: Korrespondenzen österreichischer Herrscher. Die Korrespondenz Ferdinands I. Tom. II. Pars I. Wien, 1937. p. 94.

<sup>103</sup> C. Ursinus Velius: op. cit. Libr. I. p. 3.

<sup>104</sup> Litteras regias ediderunt G. Pray: op. cit. p. 186. et J. A. Keresztury: op. cit. Tom. II. p. 353. Cf. P. B. Gams: op. cit. et V. Bunyitay: op. cit. Tom. I. 387/3. Maria, vidua regis Ludovici II. in epistola 23. Junii 1527. scripta Ladislaum nostrum „episcopum” memorat. Cf. W. Bauer—R. Lacroix: loc. cit. et similiter C. Ursinus Velius res 1. Augusti 1527. gestas pertractans, quamquam re vera tantum „*feria post festum O. O. S. S. anno Domini 1527.*” id est: die 4. Novembris 1527. denominatus est. Ferdinandus hunc episcopatum iam prius Ladislaeo nostro promississe videtur, quod ex quodam diplomate 17. Julii 1527. edito elucet. Cf. V. Bunyitay—R. Rapaics—J. Karácsonyi: Egyháztörténeti emlékek a magyarországi hitújítás korából (Monumenta historiae ecclesiasticae ex aetate reformationis Hungaricae). Budapest, 1902. Tom. I. (1520-1529) p. 331. Diebus 8.-9.-10. Novembris 1527. in comitiis regni iam episcopus Váradiensis invenitur. Cf. V. Bunyitay—R. Rapaics—J. Karácsonyi: op. cit. Tom. I. pp. 341-342.; mense Decembri autem eiusdem anni de donatione beneficiorum capituli Váradiensis iura plena accepit. Cf. V. Bunyitay—R. Rapaics—J. Karácsonyi: op. cit. Tom. I. p. 350.

<sup>105</sup> P. B. Gams in numeris episcoporum Váradiensium Emericum Czibak non commemorat. Ladislaus quoque noster usque ad annum 1534. memoratur, ex quo nomen Georgii Martinusii invenimus. Gams igitur non bullae summi pontificis datum (30. Mai 1539.), sed annum, quo in locum Emerici Czibak interfecti rex Johannes Georgium denominaverat (1534), exponit, tametsi Ladislaus de Macedonia, quem episcopum Váradiensem etiam pontifex confirmaverat, tunc vivus erat.

Macedonia anno 1537. episcopum novum eligere curavit Gabrielem de Perény designans. Quem vero denominari numquam contigit: cum tempore enim actiones inter Johannem de Zápolia et Ferdinandum de foedere pacis inceptae sunt, in quibus et ipse Ferdinandus Georgium Martinusium episcopum Váradiensem comprobavit.<sup>106</sup>

Ladislau noster pro tempore etiam posthac in vita publica agebat gratias Ferdinando persolvens. Mense Januario 1528. Budae in diaeta generali inter praelatos invenitur, qui Ferdinandi partes sequebantur.<sup>107</sup> Apud Ferdinandum, ut videtur, maxima auctoritate valuit; consilium Ladislai saepe rogatum est in iis rebus, quae decidendae ad Ferdinandum attinebant, non aliter ei, ut apud Ferdinandum interveniret, supplicaverunt, qui in bonam gratiam regis restitui volebant.<sup>108</sup>

Ferdinandus, quia Noster, uti praediximus, proventibus episcopatus uti non potuit, praeterea aerarium quoque vacuum erat, castrum Léva (Illawa) vocatum in comitatu Trencsén una cum oppidis, villis, possessionibus portionibusque, item praedium Játhó vocatum in comitatu Nyitra habitum ei donavit; quas possessiones Ladislau noster, qua ratione nescimus, fratribus suis, Nicolao partes Johannis de Zápolia sequenti et Johanni, ipsorumque heredibus et posteritatibus universis rege concedente transscripsit.<sup>109</sup>

Aestate anni 1528. Ladislaum iterum inter fideles Ferdinandi invenimus actiones non sine pondere politicas suscipientem. Eo tempore Pragam ad Ferdinandum venit Petrus Opulnicus, orator Sigismundi Polonorum regis; potestate dicendi facta „*elegantem ac venustam orationem habuit, quae tota quidem spectabat ad pacem et comitis Cepusiensis* (sc. Johannis de Zápolia) *reconciliationem.*” Comitem regno pulsum, sed haud debellatum dixit monuitque Ferdinandum de bello imminente, quod Turcae Johanni auxilium laturo Hungariae pararent. Ferdinandus assumptis paucis primoribus secum in cubicularium duxit interius oratorem, qui responsum legatis a Sigismundo ad Johannem de Zápolia missis datum exposuit. Johannes declaravit se ad pacem componendam semper paratum fuisse, etsi a Ferdinando multa indigna passus sit; noluisse quidem cum Turcis usquam foedus sibi quoque odiosum icere aut ad eos nuncios mittere, nisi necessitate coactum; praeterea certiore factum oratores a Ferdinando missos etiam tum apud Turcarum caesarem fuisse; se nunc, uti semper, pacem et concordiam petere, modo Ferdinandus ne abnueret. Ad haec dein Kalendis Juliis oratori regis Sigismundi responsum redditum est per Ladislaum de Macedonia „*circumsistentibus in cetera multitudine ex quattuor clarissimis*

<sup>106</sup> V. *Bunyitay*: op. cit. Tom. I. pp. 393 sqq.

<sup>107</sup> V. *Fraknói*: M. O. T. Tom. I. p. 95.

<sup>108</sup> C. E. p. 2.

<sup>109</sup> De hac re v. Magyar Sion IV (1866) pp. 524 sqq.: ibidem diploma Ferdinandi quoque editum est. Cf. V. *Bunyitay*: op. cit. Tom. I. p. 390. et J. *Chorényi*: Adatok és okmányok az itteni rk. plébánia történetéhez (Indicia et diplomata ad historiam plebaniae Romano-catholicae Nyitriensis). Nyitra, 1898. p. 11. Quamquam possessionem supradictam Ferdinandus pluries condonavit, cf. I. *Lukinics*: A podmanáni Podmaniczki család oklevéltára (Regesta diplomatum familiae Podmaniczki de Podmanin). Budapest, 1939. Tom. II. p. 395. et K. *Haiczl*: Léva története a XVII. század végéig (Historia oppidi Léva usque ad saeculum XVII. extremum.) Léva, 1934., Ladislaum tamen, donec vendiderit, eam tenuisse una cum fratribus sine dubio est.

nationibus, lectissimis viris a consiliis Regis ipsius Ferdinandi, Hispanis, Germanis, Hungaris ac Bohemis." Ladislaus noster „miram genuinamque prae se ferens honestatem, vultu praeterea ad maturitatem composito" orationem habuit. Ferdinandum voluntatem Sigismundi regis egregiam intellexisse, quae ei gratissima sit, in animoque cum ipso exegisse, quae pericula casusque adversus imminerent, nisi pax conciliaretur. „Verum haud videre . . . , undenam tantum periculum a comite sit, si eum . . . hostem perpetuo sit habiturus." Turcas nutu arbitrioque Johannis non continuo ad arma ruituros esse pro certo haberi; ipsum Comitem Johannem, „nisi adiutus sit a Polonis, militum egentem ac omnibus praesidiis, quibus bellum geratur, exutum iampridem ac spoliatum, altera a parte agmine Hungariam petere numquam posse." Sed Ferdinandum certissime sperare regem Sigismundum tantum flagitium numquam admissurum neque „scelestum parricidam et proditorem regni" opibus et copiis adiuturum esse. Praeterea Ferdinando utilius tutiusque videri Johannis odium apertum absentis sustinere, quam parendi studio simulato ex propinquo periclitari. et pati, ut ille virus exitiale et belli civilis pestilentiam divulget. Praeterea mirari, qua ratione Sigismundus Johannem de Zápolia haud debellatum esse censeat. Johannem copiis exutum in externis regnis peregrinum oberrare; si inveniantur, qui industriis illius studeant eumque regem Hungariae fieri velint, paucos esse, et ipsos, qui eum viribus florentem cum eventu bono adiuvare non potuissent, eo minus ad infirmum inermemque auxiliandum valentes. Sigismundi, regis christiani esse illum „taeterrimum hominem, facem et incendium patriae regnique opulentissimi eversorem, labem et perniciem reipublicae christianae et iunctum foedere scelestae Turcarum Imperatori" aut Ferdinando dedere aut, quod levissimum videatur, e finibus regni expellere, ne iniquitatis foederisque corrupti coarctetur. Si haec facere recusaverit, neminem culpam penes Sigismundum esse dubitaturum.<sup>110</sup>

Proximis duobus annis industria Ladislai erga Ferdinandum magis magisque minuitur. Quamquam in sequentibus quoque consiliarius est, immo vero personalis regius fit,<sup>111</sup> desperat tamen Ferdinandum, cui electo et ipse maximo, quoad potuit, adiumento fuit, iusiurandum servaturum et Hungariam externo exitio minatam liberare aut velle aut posse. Nicolaus Oláh in epistolis ad eum missis negligentiae arguit animoque eius demissum et instabilem reprehendit, declarans „virum quamvis fortem esse oportere et adversas aequae ut prosperas patientem, qui aulam sequi velit."<sup>112</sup> Ex epistolis Nicolai Oláh Ladislaum spe frustratum paene morbo animi laborantem videmus; in arce sua (fortasse Léva) inclusus degit et praeter amicos ipsum diligenter instigantes veluti moribundus iacet.<sup>113</sup> Anno 1530. ineunte Viennam, in aulam regis Ferdinandi proficiscitur partim fortasse suorum, partim autem negotiorum Ladislai Országh expediendorum causa,<sup>114</sup>

<sup>110</sup> C. Ursinus Velius: op. cit. Libr. IV. pp. 73-79.

<sup>111</sup> L. Márk: op. cit. p. 487.

<sup>112</sup> C. E. p. 59.

<sup>113</sup> C. E. p. 59.: „...arci illi inclusus (fortasse Léva?) nullis tuis amicis deditus perpetuo taceas et ad tuorum neminem dare litteras soleas." Similiter C. E. pp. 56-60; 67; 347.

<sup>114</sup> C. E. p. 59.: „Nunciatum est te ad regem esse profectum tum in tuis tum in Ladislai Országh negotiis . . ."

mox in arcem suam recedit. Sed paulo post arcem iterum relinquere coactus est, nunc quidem diuturnius. Comes palatinus, Stephanus de Báthor, in diem 8. Mai 1530. Poseniam diaetam generalem convocavit. ut de querelis statuum regni et statu miserabili Hungariae consultaretur, ibidemque legati ad gravamina Ferdinando et Carolo V. imperatori statibusque imperii conquerenda eligerentur. Legati Ladislaus de Macedonia, episcopus Váradensis, Franciscus Batthiány banus, et Nicolaus de Thurócz electi sunt. Quibus datae sunt instructiones: inter magistratus regis Hungaros aegre inveniri posse, ipsum regem regnum reliquisse promissisque ordines regni Hungariae frustratum, exercitum regium per totum regnum latrocinari, incolas maximis vectigalibus onerari etc.<sup>115</sup> Ladislaus noster omnibus his actionibus animo studioso interfuit. Nicolaus Oláh, quamquam prius iratus statuerat se duos annos amico, qui non respondisset ad epistolas, ne litteram quidem scripturum esse, in epistola 27. Mai Ladislao missa eum celeriter ad regem Ferdinandum vocat; mortuo enim interea palatino ad pristinas sollicitudines non parum additum iri calamitatis arbitratur.<sup>116</sup> Sed ne amici quidem ei persuadere potuerunt, ut industriam Viennam proficiscens in regem serviendo poneret.<sup>117</sup> Animum eius ab aulae rebus comitia regni et omnia, quae ad legationem pertinebant, totum averterunt, e quibus subsidium extremum speravit. Mense Septembri 1530. legati — excepto Francisco Batthiány, qui in itinere se abiunxit — ad comitia imperialia Augustam Vindelicorum proficiscuntur, quibus Ferdinandus ipse aderat; legatis supradictis interea duo legati Sclavoniae, Thomas Kannaryay et Georgius Spycko se adiunxerunt. Primum Ferdinandum adierunt et ei questus et postulationes secundum instructionem a statibus regni Hungariae sibi traditam retulerunt.<sup>118</sup> Ferdinandum per litteras statibus respondens reppulit crimina et se vulnera sanaturum promisit. Legati postea imperatorem et status imperii audientiam rogavere, quae 30. Septembris eis data est. Ladislaus de Macedonia, orator legationis, per occasionem duas orationes. unam apud imperatorem, alteram imperii statibus coram, habuit; postea Libellum Supplicatorium nomine Hungariae et Sclavoniae statuum tradidit.

Hae orationes, similiter ac quae Norimbergae habita est, repetunt argumenta communem Hungarorum et universae christianitatis utilitatem comprobantia. Orator noster imperatorem Carolum V. cum principibus summoque pontifice concordiam ineuntem et coronis imperialibus rite insignatum gratulans triumphos multiplicesque eius victorias a Deo demonstrat propterea acceptas esse, ut caesar invictissimus nunc „*adversus immanissimum christiani nominis hostem simili et feliciore auspicio*” pugnaret, et in eo „*imperium christianum*” et „*sancta religio*” subsidium haberent. Praeterea et „*maiorum . . . splendore et nomine immortalis*” expeditionem generalem contra

<sup>115</sup> Cf. V. Fraknói: M. O. T. Tom. I. pp. 109 sqq. et Magyar országgyűlési emlékek (Monumenta comitorum regni Hungariae). Budapest. 1874. Comp. V. Fraknói: pp. 261 sqq.

<sup>116</sup> C. E. p. 67.: „... ex obitu eius (sc. Stephani de Báthor palatini) ad pristinas sollicitudines nostras non parum additum esse calamitatis”. Mox autem: „... ut cum sciam te non parva palatino fuisse necessitudine coniunctum.”

<sup>117</sup> C. E. p. 68.: „Quibus rebus inductus non veneris tua sponte ad regis servitia, nec ego nec alii. . . satis cogitare non possunt.”

<sup>118</sup> V. Fraknói: M. O. T. Tom. I. pp. 149 sqq.



Turcas committendam, et bene meritis Hungarorum, qui tot annos defendissent populos christianos, valde postulari. Quae argumentatio tota sententias iam antehac expressas iterat. Inveniuntur tamen in ambobus orationibus, praecipue autem in Libello Supplicatorio, argumenta atque momenta, quae conditiones Hungariae praesentes tunc primum proferri coegerunt. Haec autem ita sunt: Ferdinando rege coronato Hungaria vinculis propinquitatis dynasticae imperio Romano coniuncta est (hoc momentum et officium a Carolo imperatore erga cognatum praestandum Ladislaus noster saepe et urbane appellat). Anno superiore impetus Turcarum etiam Austriam concussit (quod Ladislai de Macedonia argumentationi magnum pondus intulit! Itaque enim haud vana esse videbatur illa vaticinatio: „*si cessatum fuerit, nihil obstare poterit, quin paucissimis annis easdem clades, quas Hungaria toties, Austria proxime experta est, ipsa quoque Germania experiat ac sentiat.*”) Auxilia toties a Germanis implorata vero numquam impetrata sunt; licet oratores Hungarorum saepe responsum non omnino ingratum acceperint, boni responsi tamen effectus bonus numquam apparuit: neque, cum Nándoralba oppugnabatur, neque, cum Ludovicus rex Hungariae in acie dimicans cecidit, ne anno superiore quidem, cum Turcae iam ad Viennam pervenere, quamquam reges Hungariae sine auxilio externo se tanto hosti diu resistere non posse crebro admonuerant. Olim sine vexatione principum populorumque Germaniae Turcas oppugnare atque repellere licuisset; nunc status Germaniae suas fines defendere coacti sunt. Ne imperatorem statusque moveat „*esse aliquos, qui cum Turcarum praefectis sentiant; eos enim nec multos esse, nec ita animatos, ut si expeditionem in Turcas fieri videant, ad oboedientiam regiae maiestatis nolint accedere.*” Paucissimos esse non dubitandum est, qui sua sponte Turcis faveant: metus et desperatio Hungaros impulit, cum Hungariam non defendere Carolum imperatorem velle, Ferdinandum regem posse crediderint; at si se erravisse intellexerint, „*cupidissime contra veteres ac perpetuos eorum hostes arma capient.*” Hungari et Sclavoni suo detrimento didicerunt, „*quo pacto sit Turcis bellum gerendum, proinde non esse negligendas eas nationes, quae futurae sint christianis in hanc, si suscipiatur, expeditionem maximo usui et adiumento.*” Quae autem si differatur, timendum est, ne Hungari et Sclavi una cum copiis Turcarum Austriam Germaniamque invadere et vastare cogantur. Ergo nunc est expeditio committenda, cum Turcae anno superiore maxima damna acceperint, neque exspectandum est, ut vires reficiendi spatium habeant.

Libellus ille Supplicatorius quidem, quamquam argumentatione infirmior est, tamen gravior, acrior magisque impatiens. Qui haec continet: 1. Ordines sacri imperii subsidia mittere dignentur, quibus Hungaria defendi possit quoad generalis expeditio in Hungariam descendat: nam si Turca prior copias suas moverit, verendum erit, ne Hungaros et Sclavos contra christianos secum ire cogat ac pro more eos primos christianis exercitibus obiciat. 2. Necessarium est, ut copiae ad Hungariam et Sclavoniam defendendas missae singulis mensibus stipendia accipiant, ne regiones innoxias et fideles expilent regnicolasque permolestent. Caesarea maiestas et rex Hungariae una cum sacri Romani imperii statibus Hungaros et Sclavos litteris suis assecurent copias neminem eorum vexaturas, qui Ferdinando adhuc fideles erant aut qui omni defensionis solatio destituti tyrannidem Turcarum inviti

ferre coacti sunt. 3. Si proxima hac hieme auxilia non mittantur, ordines utriusque regni omni defensionis spe orbatu Turcarum principi tributum pendere cogentur; nam „*pudet eos sese universo orbi terrarum adeo insolitum spectaculum exhibere, ut praeter omnium ferarum saevitiam in fratres, liberos et affines sanguine cognato plus satis contaminati mutua caede grassentur et, quicquid ab armis externorum mansit, id totum ipsi inter sese vastent.*” Tandem universi status et ordines Hungariae et Sclavoniae hac ultima legatione „*notum et protestatum esse volunt cunctis, qui christiano nomine censentur, se non ex malitia aut livore, sed ob defectum et dilationem externi auxilii... invitos quidem et non sine gravissimo animi dolore cogi et compelli, ut... remedia qualiacunque quaerant, quibus... clades, calamitates, afflictationes, captivitates et extremam dulcis patriae vastitatem vitare possint; Deus optimus maximus et iusti christianorum principes, quorum id culpa contingat, viderint!*”

Orationibus Ladislai nostri animi maxime commovebantur. Decretum est statibus imperii propter Viennam: anno superiore obsessam perterritis magnum exercitum comparari; decretum autem ne tunc quidem exsequerentur.<sup>119</sup> Ladislaus ambas orationes, sicut illam anno 1522. Norimbergae habitam, una cum Libello Supplicatorio Nicolao Oláh misit, qui eas, ut pridem iam fecerat, Thomae de Szalaháza, episcopo Agriensi tradidit.<sup>120</sup> Itaque et hae orationes et Libellus quibusdam locis mutatis et correctis imprimebantur, mox autem lingua Germanica quoque in lucem prodierunt.

Posthac de actionibus politicis Ladislai nostri perpauca audimus. Anno 1532. particeps consilii fuisse memoratur, in quo legati regum Johannis et Ferdinandi in pago Megyer consiliabantur.<sup>121</sup> Eodem anno Posoniae invenitur inter consiliarios regis Ferdinandi, quibuscum tractabatur, qualibus promissis statibus regni persuaderi posset, ut in comitiis Cassoviae habendis partibus Ferdinandi faverent.<sup>122</sup> Comperimus Nostrum vere anni 1533. et colloquio affuisse, in quo cum legatis Solimani de pace Ferdinando praesente consultabatur.<sup>123</sup> Eo tempore equites Ferdinandi, „*husarones*”, totam Hungariam latrocinebantur: arces, claustra et monasteria occupare, unde in praedia praelatorum et nobilium praedatum irent stipendiis non continuo acceptis. Incolae regni querebantur apud Ferdinandum, qui cum husaronibus suis simul de ecclesiasticis aliisque bonis remittendis et de stipendiis persolvendis transagere coactus est; „*mediatores*” inter regem et equites regis Ladislaus de Macedonia et Stephanus Pemflinger erant.<sup>124</sup> Quae actio in vita publica Ladislai nostri fortasse ultima fuit.<sup>125</sup>

Annis his vitae ultimis Ladislaus noster molestiis privatis aggravatus cum valetudine tum fortunis debilitatus est. Ante tribus annis, cum officio legationis fungens Augustae Vindelicorum versaretur, amicam habuit quandam

<sup>119</sup> J. Buchholz: Geschichte der Regierung Ferdinands I. Wien, 1883: Tom. IV. p. 365.

<sup>120</sup> Cf. adnot. 75.

<sup>121</sup> C. Wagner: Analecta Saeptusli sacri et profani, Viennae, 1774. pp. 208-209.

<sup>122</sup> V. Fraknói: M. O. T. Tom. I. pp. 149 sqq.

<sup>123</sup> C. E. pp. 330 sqq. — Datum 2. Aprilis 1533.

<sup>124</sup> C. E. pp. 353-354. Cf. Ö. Noszkay: op. cit. p. 91.

monacham, quam gravidam fecit. Epistola Nicolai Oláh mense Januario 1532. ad Franciscum de Ujlak, amicum communem, scripta nos de hac re certiores facit.<sup>126</sup> Nicolaus res gestas Ladislai de Macedonia urbane exponit. Illum „Waradiensem”<sup>127</sup> τὴν εἰζόνην habere audimus, id est: „*infantulum relaturum parentes suos*”. Matrem infantuli quandam monacham fuisse elucet ex his verbis: „*Quis enim ex sanctis initiatis irreligiosus procerari potest?*” Alias: „*Mater dicebatur ex coenobio Augustam venisse... ex hoc infantulo quispiam exsurgat ὁ προφήτης tam sacris orto parentibus.*” Non secus verbis ultimis Nicolaus Oláh urbane et haud sine lascivia iocatur: „*Mearum non est virium τὴν θῆσιαν αὐτῶν ut scribis, imitari posse, sed curabo, ne frustra consenuisse videar.*” Hoc puerperium certe auxit episcopi nostri incommoda accumulata. Anno 1533. arcem Léva Nicolao Ostrosich de Giletnicze 4000 Florenis Hungaricis vendidit.<sup>128</sup> Ex quo Viennae moratur et a medicis ibidem sanatur, qui tandem ei persuadent, ut in balineum, nisi morbum ingravescere velit, proficiscatur; sed propter aes alienum Viennam relinquere non potest. Pecuniam igitur mutuo rogat Stephanum Pemflinger, a quo, ut videtur, iam pridem aliquoties acceperat mutuuum.<sup>129</sup> Posthac de Ladislao vivo nihil auditum. Nicolaus Oláh nos certiores facit eum vere anni 1536. mortuum esse; in epistola 30. Martii 1536. ad Stephanum Brodericum missa haec scripsit: „*Macedonis nostri mors maiorem mihi millies dolorem iniecit, quam si viginti per illum etiam sordidos homines mihi praelatos esse vidissem.*”<sup>130</sup>

\*  
\*\*

A Ladislao de Macedonia praeter orationes supramemoratas epistolae quoque paucae relictae sunt; quae quidem minimi praetii sunt.<sup>131</sup> Orationes tamen non solum eruditione ingenioque compositae sunt, sed etiam, sicuti tota Ladislai nostri vita, tamquam speculum videntur hominis, qui vir doctus et politicus temporibus iniquissimis Hungariae et fide et virtute dulcem patriam ipsamque humanitatem tuebatur.

<sup>125</sup> In quadam epistola Nicolai Oláh 5. Junii 1533. scripta memoratur C. E. p. 373.: „*Regias litteras Macedo et Ujlaky subscribi facere potuissent, vel Maius secretarius, nisi adhuc post tantas a Deo immixtas nobis calamitates alius alteri invidere... malint.*” Sed quae litterae regiae quaeque calamitates indicentur, certe nescimus.

<sup>126</sup> C. E. p. 189.

<sup>127</sup> Ladislaus noster in aliis epistolis quoque „Waradiensis” memoratur. Cf. C. E. p. 336 et p. 360.

<sup>128</sup> Magyar Sion IV (1866) loc. cit. Venditionem possessionis V. Bunyitay anno 1531. factam esse scribit, sed certissime errat: eo anno fratres de Macedonia apud Ferdinandum simulque Johannem de Zápólia de usurpatione violentiaque Petri Kosztká queruntur, qui contra ius arcem Léva tenuisset.


<sup>129</sup> V. Bunyitay: op. cit. Tom. I. p. 390. Epistola ad Stephanum Pemflinger conscripta citata ibidem 390/5.

<sup>130</sup> C. E. p. 573.

<sup>131</sup> Epistolas Ladislai nostri vide: C. E. pp. 353-354; Századok VII (1873) p. 45.; Irodalomtörténeti Közlemények 1891. p. 413.; Magyar Nyelv LI (1955) pp. 358-359 et V. Bunyitay: op. cit. Tom. I. 390/5.

## APPENDIX

I. Nagy hoc stemma familiae de Macedonia proponit:



Idem stemma in Bibliotheca Nationali Széchenyiana Quart. Lat. 2038. invenitur. Quod tamen pluries aberrat: 1. patrem Simonis Donch non Petrum fuisse e diplomatibus elucet; 2. pater Ladislai, Johannes, non Simonis, sed Nicolai Petri filii filius fuit; 3. ille Perus, qui filius Johannis fraterque Nicolai exponitur vero nepos Johannis filiusque Nicolai fuit. Praeterea stemma suprascriptum hiatus maximos continere pro certo habendum. E diplomatibus ceterisque fontibus hoc stemma verisimile videtur:

